

ANIMADVERSIONES

IN

SECUNDAM PARTEM HERBARIi TURCZANINOWIANI, NUNC
UNIVERSITATIS CAESAREAE CHARKOWIENSIS.

AUCTORE

N. TURCZANINOW.

(Continuatio. V. Bull. 1858. N° 1.)

Micromelum tephrocarpum Turcz. Inerme, glaberrimum; foliis impari-pinnatis 7—11 foliolatis, foliolis alternis, lanceolatis obtuse acuminatis, basi attenuatis inaequilateris, integerrimis aut obsolete serrulatis, pellucido-punctatis; panicula terminali foliis multo brevior; fructibus ovato-oblongis acutatis (cinereo-coerulescentibus) sub 3spermis, Calyx truncatus subrepandus, petalis duplo brevior. Filamenta alterna minora, antherae adnae subglobosae. Ovarium toro brevissimo insidens, stylo crassiusculo stigmatique capitato terminatum. Bacca intus septis contortuplicatis 5 locularis, semina in fructu immaturo tria tantum observavi, obovato-oblonga, compressa. A *M. glabrescente* Bth. praesertim bacca apice attenuata differre videtur. Insulae Philippinae, Cuming n. 597.

N° 2. 1858.

25

Micromelum molle Turcz. Inerme, ramis, petiolis, pedunculis, panícula, calycibus petalisque breviter et molliter pubescentibus; foliis impari pinnatis 7—13foliolatis, foliolis alternis ovato-lanceolatis, acuminatis, basi attenuatis inaequilateris, utrinque ad costam et venas dense, inter venas parce pubescentibus mollibus; paniculis axillaribus et terminalibus compositis foliis brevioribus; calyce truncato obsolete 5dentato petalis multo brevioribus; fructibus acutis 1—3spermis, nigro caerulescentibus glabris. A *M. pubescente* Bl., cujus specimen ab ipso auctore ad Schultesium missum habeo differt planta magis pubescente, foliolis majoribus mollibus acute acuminatis et fructibus acutis nec obtusissimis. Insulae Philippinae, Cuming. n. 1056.

Micromelum? ex insulis Philippinis, Cuming n. 1355. Ad hoc genus retuli e habitu et ex auctoritate cl. Bentharii (Hook. Lond. journ. of Bot. 11 p. 213) etiamsi calyce 5partito, potius cum *Glycosmia* aut *Limonia* congruet. Ovarii 5locularis, loculis uniovulatis. Fructus non suppetit.

Genus novum e Mexico, prope Xalappa, alt. 4000 ped. Galeotti n. 7075. Calyx 3partitus. Petala 3. Stamina 6, filamentis longe exsertis, antheris oblongis incumbens. Ovarium 3loculare, loculis multiovulatis. Caetera ignota. Arbor foliis alternis 3foliolatis, punctis pellucidis destituta ramisque glabris. An hujus ordinis?

Aegle Marmelos Correa? In omnibus fere quadrat, sed ovula ovarii 12locularis nihil lanati habent, ergo valde dubia; e Java Zoll. n. 2263.

Citrus salicifolia hort. Sub hoc nomine olim in horto Botanico Charkowiensi culta, petiolo anguste alato, vel

ad apicem parum dilatato, foliis oblongo-lanceolatis, utrinque acuminatis, repandis vel profunde crenatis, pedunculis solitariis vel geminis unifloris petiolo duplo brevioribus, fructu parvo subgloboso-elliptico. An ad unam e descriptis pertinet, sicuti alia e speciminibus paucis et incompletis mihi nota?

Genus Javanicum, Zoll. n. 3261. Calyx 5sepalus, sepalis duobus exterioribus minoribus. Petala 5, sepalis alterna et duplo majora, lata, unguiculata, inaequalia, sub disco 5angulari inserta. Stamina 10 fertilia, 5 petalis opposita et cum illis basi concreta, 5 alia petalis alterna libera. Filamenta subulata longitudine petalorum, antherae parvae ovatae, biloculares, longitudinaliter debiscentes. Ovarium stipitatum globosum biloculare, loculis 3—4 ovulatis. Stylus conicum ovarium duplo vel triplo superans, stigmate capitellato subbilobo. Capsula (immatura) stipitata globosa, bilocularis, seminibus septo bifariam insertis, unico caeteris majore, solo verosimiliter maturante. Frutex ramosus glaberrimus, foliis alternis petiolatis lanceolatis utrinque attenuatis penniveniis integerrimis, lucidis, paniculis terminalibus compositis, ramis inferioribus verticillatis, floribus breviter pedicellatis, praeter petalorum laminam ciliatam stylumque glandulo-pubescentem, glabris Capsula pisi minoris magnitudine, annulo piloso coronata. Genus pluribus notis ad Aurantiaceas accedens, cohaesione filamentorum cum petalis a generibus descriptis discrepat, propterque seminum structuram internam ignotam dubium. Nomen, absque dubio, in Zolling. Verz. imponetur aut impositum.

Vismia Lindeniana Dne ined. V. Brasiliensi Choisy, e descriptione hujus, valde affinis, sed folia utrinque aequaliter attenuata, lanceolata nec ovato-lanceolata et bacca

oblonga nec globosa. Venezuela, prov. Caracasana, Cerro de Avila, alt. 7000 ped. Linden. n. 13 et prope Galipan, alt. 4500 ped. Funck et Schlim n. 101.

Visinia guttifera Salzm. Ramis tetragonis tenuiter puberulis; foliis ovato-lanceolatis acuminatis glabris, aut subtus ad costam pubescentibus; calycis laciniis ovatis obtusiusculis, membranaceo-marginatis punctato-puberulis; petalis calycem duplo superantibus multinerviis, subtus ad nervos, phalangibus staminum, squamis corollae stigmatibusque longe piliferis; stylis 5. In collibus Bahiae Salzmann, atque Blanchet n. 3041. Hujus varietas foliis angustioribus magis acuminatis in coll. Blanchetiana sub n. 3520.

Ancistrolobus floribundus Turcz. Foliis oblongo-lanceolatis acuminatis basi attenuatis integerrimis glabris; panicula terminali ramosissima, ramis oppositis aut plurimis approximatis pseudo-verticillatis multifloris, inferne pari foliorum suffultis; rhachi inter nodos alternatim compressa, ad apices internodiorum dilatata; glandulis cuneatis apice inflexis, marginibus involutis ungue phalangium parum brevioribus. Foliorum basis interdum a petiolo secedit aut in illum irregulariter decurrit, tenuior et lucida, interdum minutissime appendiculata apparet. In variis provinciis insulae Luçon, Cuming coll. n. 792, 965 et 1231; sub n. 965 dantur specimina paniculis brevioribus et paucifloris instructa. Specimen Singaporense, Th. Lobb. n. 443 recedit foliis ad apices ramorum sensim angustioribus, summis lineari-lanceolatis longe acuminatis. Vix tamen specificè separandum.

Ancistrolobus micradenius Turcz. Foliis ellipticis vel oblongo-ellipticis, breviter obtuseque acutatis, interdum minutissime appendiculatis, integerrimis, glabris; panicula

terminali ramosissima, ramis oppositis, interdum 3—4 approximatis pseudo-verticillatis, multifloris; rhachi inter nodos alternatim compressa, ad apices internodiorum dilatata; glandulis minutissimis planis, acutis, vix perspicuis. Folia latiora quam in praecedente, minus attenuata. Paniculae rami magis inter se distant. In insula Philippina Bohol, Cuming n. 1822.

Ancistrolobus glaucescens Turcz. Foliis obovato-oblongis ellipticisve, brevissime et obtuse acuminatis, integerrimis, crassis, glaucescentibus; racemis paucis oppositis extra-axillaribus, ramosis, multifloris; internodiis compresso-triquetris aequilatis; glandulis minutis obovatis obtusiusculis. Foliorum venae vix conspicuae. Racemi in speciminibus meis gemini oppositi, subpyramidati, id est ramulis inferioribus longiusculis, superioribus sensim brevioribus, summis unifloris, flore brevissime pedicellato vel subsessili. Flores, quam in praecedentibus majores, calycibus nigricantibus obtusis, petalis linea dorsali nigricante percursis. Glandulae minutae, majores tamen quam in *A. micradenio*. Characteribus specificis cum *Cratoxylum glauco* Korth., non male congruit, sed phalanges stamineae 3 nec 5. Singapore, Th. Lobb. n. 419.

Ancistrolobus brevipes Turcz. Foliis lanceolatis acuminatis, basi attenuatis, integerrimis, subtus glaucescentibus; internodiis compressis apice parum dilatatis; pedunculis supraaxillaribus fasciculatis 1 — 2 floris petiolum adaequantibus, terminalique racemoso (ramulum terminante); glandulis majusculis bidentatis, intus carinato-angulatis. Species, praeter characteres datos distinguitur etiam a praecedentibus foliis minoribus. Ab *A. ligustrino* Spach. cui e descriptione hujus affinis, recedit forma squamarum seu glandularum hypogynarum. Petalorum unguis fo-

veola, a dorso impressa, saepe instructi. Singapore, Th. Lobb n. 485.

Tridesmis Jackii Spach. Zoll. coll. Javan. sub Ancistrolobo formoso Zoll. et Mor. sive *Elodea formosa* Jackii. Hanc cl. Spach (ann. des sc. nat. sér. 2 vol. 5 p. 352) *Tridesmis Jackii* vocat et generi huic, prae caeteris, petala appendice triloba instructa et stigmata biloba adscribit. In planta nostra, cum diagnosi Jackiana quadrante appendix petalorum est simplex, apice rotundata et stigmata capitata integra. Propter semina alata et habitum ad *Elodeas* amandari nequit.

Tridesmis ex insula Philippina Leyte, Cuming n. 1754. Priori congener, foliis angustis utrinque viridibus praeter alias notas distincta. Specimen mancum.

Elodea maritima (*Hypericum maritimum* Sieb.) videtur esse *Triadenia Sieberi* Spach, etiamsi ovarium staminibus inclusum et stylos semper breves vidi.

Hypericum e Japonia Göring 11. n. 581. (Specimen defloratum). Foliis oblongo-lanceolatis, utrinque attenuatis, subtus glaucis nigro-punctatis; floribus in ramulis terminalibus solitariis; calycibus lineari-lanceolatis acutis 3—4nerviis; petalis calycis longitudine? ovario et capsula trilocularibus, ovulis in loculis 4serialibus, seminibus subcylindricis punctis elevatis adspersis, stylis brevibus 3, stigmatibus capitatis. Unicum specimen speciei, ut videtur, indescriptae.

Hypericum Cubense Turcz. Fruticosum ramosissimum, caule tereti, ramis ramulisque superne tetragonis; foliis linearibus mucrone calloso apiculatis, uninerviis, margine revolutis, crassis; floribus ad apices ramulorum solitariis geminisve, aut ramulis novellis excrescentibus, in dicto-

tomia eorum sitis; sepalis lineari-lanceolatis petalis lanceolatis duplo brevioribus; staminibus numerosis; stylis 3 ovario subtriloculari brevioribus. *H. fasciculatum* Lam. huic e habitu simile, distinguitur stylis stigmatibusque in unicum ex toto concretis. Praeterea stirps nostra ramulis lateralibus paucissimis instructa pauciflora, an semper? Provincia St.-Jago insulae Cubae, in cacumine Sierra-Moestii, alt. 5000 ped. Linden n. 1692.

Hypericum asperuloides Czern. Glaberrimum, caulibus herbaceis basi decumbentibus, quadrangulis, simplicibus, foliis sessilibus verticillatis (4 rarius 3nis) anguste lineari-lanceolatis, utrinque attenuatis, margine valde revolutis, parce pellucidis, fasciculos foliorum linearium atque pedunculatos paucifloros foliis breviores in axillis foventibus; bracteis linearibus, margine nigro-fimbriatis pedicellorum longitudine; calycibus ovato-lanceolatis acutis vel acuminatis subquinquenerviis, inter nervos pellucide lineatis, margine nigro-fimbriatis: fimbriis superioribus stipitatis; petalis calycem duplo vel subtriplo excedentibus, margine nigro-fimbriatis. Planta circiter semipedalis. Laciniae calycinae parum inaequales, unica caeteris nempe paulo angustiore. Petalorum unicum, caeteris etiam angustius acutiusculum, reliqua subobtusata. Ab omnibus fere foliis verticillatis recedit, hac nota neglecta ad formas angustifolias *H. hyssopifolii* accedit, at folia longiora magisque revoluta. E descriptione similis etiam *H. stenobotrydi* Boiss., sed praeter calyces diversos foliaque verticillata abhorret bractearum forma. In Dagestano boreali, prope Aut Schali legit beatus Patr. tsky.

Hypericum stenopetalum Turcz. (Brathys) Fruticosum ramosissimum, ramis ramulisque tetragonis, dense foliosis, ramulis unifloris, flore terminali vel ex una superiorum

axillarum prodeunte; foliis sessilibus oblongo-lanceolatis ellipticisve acutiusculis, basi amplexicaulibus, costatis, margine revolutis subtilissimeque serrulatis; pedunculo tetragono medio bibracteato; bracteis calycibus seu foliis similibus at pallidioribus; petalis linearibus sepala duplo superantibus; staminibus numerosis fere liberis; stylis 3 ovarium uniloculare acutum plus quam duplo excedentibus. Venezuela, prov. Meridensis in Sierra Nevada, alt. 9800 ped. Funck et Schlim n. 1139 sub *H. silenoide* Juss. sed haec species, e definitione ejus, folia pollicaria habet, flores secundos et sepala glandulosa. In nostra folia vix semipollicem longa, flores solitarii et calyces eglandulosi, petala 6 lin. longa, angusta flava. *H. styphelioidi* A. Rich. magis videtur accedere, sed praeter alias notas jam ovario 3 nec 5-valvi distinctum.

Hypericum nova species. E prov. Meridensi, prope Par. de Portafuelo alt. 8000 ped. Funck et Schlim n. 1459, sub *H. struthiolaefolio* Juss., quod e diagnosi caulem suffruticosum et folia impunctata habet. In nostro caulis fruticosus, folia utrinque attenuata, basi semiamplexicaulia, punctis crebris pellucidis adspersa. Stirps nostra, folia fere *H. stenopetali* fert, tamen minora et basi attenuata, flores in ramulis tertiariis brevibus numerosissimisque terminales, illis *H. stenopetali* paulo minores, petala latiora oblongo-lanceolata, nec linearia. Folia minime larinata, sed potius nonnullis *Cassiopes* speciebus latifoliis analoga.

Hypericum thymifolium H. B. K. in Linden coll. n. 1312 e Novae Grenadae prov. Tunja prope Paramo de Coati, alt. 1600 hexap. Cum definitione satis quadrat, praeter stigmata, in quibus nihil peltati video. Folia complicata, flores terminales solitarii, calyces multinervi

pallidi, petala aurea, oblongo-elliptica obtusa calycem plus quam duplo superantia. Styli filiformes, apice parum dilatati, ovario uniloculari ovato plus quam duplo longiores. Stigmata subpunctiformia.

Hypericum laricifolium Juss. (Brathys). Fruticosum ramosissimum, ramis ramulisque tetragonis; foliis dense imbricatis arcte involutis filiformi-teretibus obtusis, adpressis, punctatis, basi interdum subexplanatis; floribus in ramulis brevibus numerosisque terminalibus solitariis vel ramulis excrescentibus, quasi in dichotomia ramulorum duorum terminalium nascentibus, pedunculis pedicellisque medio bibracteatis, sub flore clavatis; sepalis ovato-lanceolatis acuminatis trinerviis; petalis inaequilatero-rhombeis sesquies brevioribus; staminibus numerosis brevissime polyadelphis; stylis 3, rarius 4, ovarium uniloculare obtusiusculum paulo superantibus. Nova Grenada, prov. Sta-Martha prope San Sebastian de la Sierra, alt. 6000 — 7000 pedum Funck n. 506 et Galeotti herb. n. 296, atque Venezuela, in prov. Meridensi, alt. 11000 ped. Linden n. 369 sub *H. laricifolio* Juss. Specimen Meridense a reliquis recedit foliis brevioribus internodia non superantibus. *H. aceroso* H. B. K., saltem specimini sub hoc nomine in coll. Funckii et Schlimii distributo sub n. 1141, valde affine et nonnisi foliis arctius involutis angustioribus, calycibus acutis neque longe acuminatis, petalis brevioribus (in illo calycem duplo superant) et stylis ovaria parum, nec plus quam duplo superantibus. Cum phrasi Candolleana male congruit sed convenit cum specimenibus exsiccatis coll. Lechleriana n. 1817 a cl. Grisebach determinatis.

Hypericum Pseudo-brathys Turcz. Fruticosum ramosissimum, ramis ramulisque tetragonis; foliis linearibus

angustis, dorso canaliculatis, acuminatis, marginibus revolutis punctatis; floribus in apice ramulorum terminalibus, foliis vicinis quasi involucretis et superatis, pedunculis brevissimis ebracteatis; sepalis ovato-lanceolatis acuminatis mucronatis foliis latioribus; petalis inaequilatis rhombeis parum brevioribus; staminibus numerosis fere liberis; stylis 3 ovarium uniloculare subaequantibus. Venezuela, prov. Meridensis, in Sierra Nevada, alt. 10000 pedum Funck et Schlim n. 1140, Nova Grenada in provincia Pamplona, parama de St.-Urban alt. 11000 ped. Funck et Schlim n. 1279, ibique in viciniis Bogotae alt. 1400 hexap. Linden n. 1242 et in prov. Tunja, parama de Coati, alt. 1600 hexap. Linden n. 1313 sub H. Frathyde, quod differt jam stylis 5 et foliis epunctatis. An hoc est verum H. acerosum H. B. K.? diversum a planta Funckii et Schlimii, hoc nomine salutata, foliis acuminatis et petalis brevioribus. Foliorum paria valde approximata, ita ut quadrifariam imbricata videantur, specimen vero Lindenianum n. 1313 folia magis remota habet glaucescentia, apice cum calyce rubra, in caeteris non differt.

Hypericum platypetalum Turcz. Fruticosum ramosissimum, ramis ramulisque tetragonis; foliis ovato-lanceolatis acutiusculis planis vel complicatis, dense imbricatis punctatis; floribus in apice ramulorum terminalibus solitariis, folia vicina multo superantibus; pedunculis ebracteatis, aut saltem bracteis a foliis non distinctis; sepalis ovato-lanceolatis tenuissime marginatis epunctatis; petalis obovatis obtusis fere triplo brevioribus; staminibus numerosis polyadelphis; stylis 3, ovaria unilocularia duplo superantibus. Species e paucis speciminibus nota, ob flores inter affines magnos et folia latiora, a H. aceroso,

Pseudo-brathyde et Loxensi Bth. (mihi ignoto) distincta. Quito, Jameson coll. n. 60.

Hypericum e Quito, Jameson n. 61. Frutex humilis procumbens vix semipedalis, foliis lineari-lanceolatis acutiusculis punctatis, floribus terminalibus, petalis inaequilateris rhombeis calycem parum superantibus, staminibus numerosis polyadelphis, stylis 2 ovarium uniloculare acutum superantibus. In specimine unico florem unicum tantum examinare potui, sed species distinctissima videtur inter fruticas caulibus procumbentibus.

Hypericum decandrum Turcz. (Brathys). Fruticosum ramosissimum, ramis ramulisque tetragonis; foliis ovato-lanceolatis oblongisve acutiusculis planis vel plus minus complicatis punctatis; floribus terminalibus in apice ramorum solitariis aut ramulis novellis excrescentibus, inter duos ramulos sitis, breviter pedunculatis, pedunculis ebracteatis; sepalis linearibus acutiusculis, saepe concavis, quam petala linearia obtusa brevioribus; staminibus 10, omnino liberis; stylis 3 ovaria unilocularia acutiuscula duplo superantibus. Species inter fruticas insignis, staminum numero definito, praeterea habitu strictiore, foliisque minus dense imbricatis ab affinis distinguitur. Quito, Jameson n. 62.

Hypericum Caracasenum Willd. in Sierra prov. Meridensis Venezuelae, alt. 8000 ped. Funck et Schlim n. 1628, cum definitione bene quadrat, a quo specimen floribus orbatum in eodem loco a Moritzio lectum n. 1167 et sub eodem numero missum recedit foliis remotioribus acutiusculis.

Ascyrum simplex Zeyh. in litt. cum definitione sequente: radice repente, caule adscendente herbaceo simplici

quadrangulo; foliis oblongo-ovalibus obtusis venosis oppositis, floribus breviter pedicellatis rectis parvis trigynis terminalibus. Species media inter *A. pumilum* et *stans*. Flores in specimine unico dichotomo-cymosi, ramis lateralibus 3 floris subumbellatis, medio e dichotomia solitario. Prope Bethlechem in Pennsylvania.

Ruyschia Pavonii G. Don.? In brevi definitione hujus speciei (Walp. repert. 1. p. 398) structura et positio bractearum non sunt expositae, in speciminibus nostris bractee cuculliformes, paulo infra calycem sitae, extus in auriculas duas brevissimas obtusas expansae. Flores rubro aurantiaci. Mexico, in Cordillera alt. 3000 ped. Galeotti n. 4215 et in statu Vera Cruz prope Consoquitta alt. 2000 ped. Linden n. 875.

Hippocratea discolor Mey.? Memorabilis petalis linea media transverse pilosa instructis. Propter defectum fructus cum signo interrogationis a cl. Benthamico (Rio Negro, Spruce n. 1531) determinata. Simillimae huic e Surinam, Hostmann n. 132 et e Guiana Britannica R. H. Schomburgk 1837 n. 410. Aliae species hujus ordinis ob eandem causam non determinabiles et imo quoad genera dubiae remanent.

Erythroxylum subracemosum Turcz. Glabrum, foliis breviter petiolatis obovato-oblongis obtusis retusisve integerrimis subtus pallidioribus; stipulis bracteisque scariosis acuminatis; floribus in ramulis novellis e singula bractea solitariis, rarius geminis, longe pedunculatis, infra folia in racemum approximatis; staminibus stigma subaequantibus. In Brasilia, prov. Piahy et Goyaz, Gardn. n. 3053.

Malpighia cuneata Turcz. Innovationibus rufo-pubescentibus, caeterum glaberrima; foliis oblongo-obovatis

obtusissimis, basi longe cuneatis coriaceis lucidis; pedunculis axillaribus geminis aut solitariis unifloris, folio duplo brevioribus; calycibus 8 glandulosis, laciniis rufociliatulis; petalis stipitatis, lamina reniformi. Comparata cum speciminibus meis *M. punicaefoliae* Cav. et cum iconne W monographiae Jussievianae differt forma foliorum et petalorum, foliorumque consistentia duriore. Folia non emarginata, petala rosea. St.-Jago de Cuba, prope Pinal de los Hondones. Linden coll. n. 1968.

Byrsonima sparsipilis Turcz. Ramis pubescentibus; foliis brevissime petiolatis lanceolatis oblongo-lanceolatisve acuminatis, aut (in eodem individuo) latioribus ellipticis cuspidatis, utrinque ad costam dense, caeterum sparse pilosis, pilis centro affixis crispulis; racemis simplicibus; calyce 10 glanduloso; antherarum connectivo loculis subaequali; ovario villosa. Pedunculi verticillati, bracteis lanceolatis aut setaceis parvis basi stipati. Petala longiuscule stipitata fimbriata. *B. rhombifoliae* Adr. Juss. videtur affinis ex indumento aliisque characteribus, sed folia minime sunt rhombea. Piahy, Goyaz et caet. Gardn. coll. sine numero.

Byrsonima Moritziana Turcz. Ramis pubescentibus; foliis breviter petiolatis ellipticis, elliptico-obovatis vel oblongo-lanceolatis, utrinque attenuatis, supra lucidis praeter costam glabris, subtus ad costam et parce ad venas pilosis, caeterum fere glabris, pilis centro affixis crispulis; racemis simplicibus, pedicellis florentibus patienti-erectis, defloratis reflexis; calyce 10 glanduloso pubescente; antherarum villosarum connectivo ultra loculos producta; ovario glabro. Affinis praecedenti, sed folia pleraque latiora, minus vestita, connectivum loculos excedens et ovarium glabrum. Prope Caracas in Venezuela,

Moritz coll. n. 516 sub *B. laurifolia* H. B. K., quae foliis subtus tomentoso-pubescentibus et incanis describitur.

Byrsonima Cubensis Adr. Juss. var. *brachypoda* Turcz. Praeter petiolum breviorē 2—2½ nec 4—6 lin. longum cum descriptione omnino quadrat Cuba, prov. St.-Jago, prope Nimanima, alt. 1800 ped. Linden n. 2090.

Byrsonima hypoleuca Turcz. Ramulis, petiolis foliorumque pagina inferiore strato cinereo obductis glabris; foliis ovato vel oblongo-lanceolatis, basi parum attenuatis, apice in æcumen obtusiusculum subincurvum longius productis; racemis densifloris folio brevioribus; calycis 10-glandulosi sepalis superne ciliatis; antherarum oblongarum connectivo ultra loculos parum producto, apice foveolato; ovariis villosis. Petala dicuntur lutea. Racemi circumscriptione oblongo elliptici. Venae paginae superioris foliorum etiam cinerascunt. In provincia Ocana Novae Grenadae, prope Enllanoda, alt. 4000 ped. Schlim n. 687.

Banisteria podadena Turcz. Foliis ellipticis acuminatis cuspidatisve basi obtusis, margine revolutis, utrinque puberulis subtus cinereo-pallidis petioloque eglandulosis; umbellis pedunculatis 3—4 floris, pedunculis apice bracteatis, pedicellis longe infra medium articulatis, ad medium partis inferioris bibracteolatis; calycis 8 glandulosi glandulis breviter stipitatis. Frutex apice volubilis. Rami, inflorescentiaque pube brevissima adpressa cinerei. Folia parva pollicaria, 6 lin. lata, parum nitentia. Calycina segmenta ovata obtusa, 4 glandulis duabus tempore florendi, ut in aliis congeneribus adpressis sessilibus, perfecta florescentia stipite lato et brevissimo elevatis, demum decidua. Petala inaequalia breve stipitata lacero-fimbriata rosea. Stamina inaequalia, antheris connectivo

crasso instructis, omnibus fertilibus. Ovaria 3 coadunata, dense pubescentia, dorso gibbosa. Stigmata 3, primum subcapitata, dein truncata. Fructus desideratur. Species insignis glandulis calycinis stipitatis caducis, ad Heladenas vergit, sed toto habitu et characteribus Banisteriis associanda *B. pauciflora* H. B. K., jam foliis biglandulosis a nostra recedit. In prov. St.-Jago insulae Cubae, alt. 2000 ped. Linden n. 2075.

Peixotoa paludosa Turcz. Ramis divaricatis cinereo-pubescentibus; foliis inferioribus ovalibus breviter acuminatis, basi obtusis vel subcordatis, superioribus (paniculae) obovato-oblongis cuspidatis, margine revolutis, supra pubescentibus, subtus incano-tomentosis, petiolisque eglandulosis; paniculae ramis divergentibus, umbellis oppositis distantibus, pedicellis ultimis 4 supra ultima folia sessilibus, basi bracteolis duabus linearibus medio biglandulosis fultis; samaris..... Calyx 8glandulosus. Stamina alterna sepalis opposita sterilia, antheris in globum seu vesiculam conversis. Ovarium hirsutum 3 partitum, lobis dorso verticaliter 3 cristatis, crista media alaeformi, lateralibus multo minoribus fere obsoletis. Multis notis cum *P. leptoclada* Adr. Juss. convenire videtur, tamen pedicellis ultimis sessilibus et petiolis eglandulosis a descriptione recedit. Bahia, in paludibus d'Illhabira, prope urbem di Barro, Blanchet n. 2867.

Heteropterys e Cumana, prope Caripe, alt. 3000 ped. Funck et Schlim n. 703, a specimine meo Surinamensi *H. platypterae* DC. (Hostm. n. 531) recedit foliis latioribus, racemis axillaribus propter pedunculos pedicellosque longiores laxioribus. An varietas?

Stenocalyx, novum genus. Calyx profunde 5-partitus, laciniis 4 basi rotundatis extus biglandulosis, intus

in laminam petaloideam oblongo-obovatam expansis, quinta e sola lamina constante. Petala 5, breviter unguiculata, lamina lata dentato-fimbriata rugosissima. Stamina 10, filamentis basi in anulum connatis, alternis vix brevioribus, antherarum connectivo crasso, loculis longitudinaliter dehiscentibus. Ovaria 3 in unum fere connexa, hirsuta, dorso 3-cristata. Styli 3 liberi, apice oblique truncati, stigmatibus lateralibus. Fructus ignotus. — Arbor seu frutex glaber, foliis magnis (plus quam semipedalibus) ellipticis acuminatis petiolisque eglandulosis, paniculis axillaribus et terminalibus a medio floriferis, ramosis, ramis 1—3 umbelliferis, umbellis umbellulisque bibracteatis, floribus inter bracteolas duas proprias sessilibus, illisque ante anthesin involutis et obtectis, bracteis ferrugineo-pubescentibus, calycibus petalisque luteis extus pubescentibus, his segmentis calycinis parum longioribus, multoque latioribus. Genus, fructu ignoto, quoad locum dubium, tamen distinctissimum calycis structura in ordine singulari, atque floribus bracteolis involutis.

Stenocalyx involuta Turcz. In provincia Caraboba Venezuelae, prope St.-Estevan, alt. 1000 ped. Funck et Schlimm. n. 518.

Tetrapterys Jamesonii Turcz. (Anisoptera). Foliis oblongo-ellipticis basi rotundatis, apice attenuatis obtusis, supra glabris lucidis, subtus cinereo-tomentosis; umbellis sub 4 floris in paniculas terminales et axillares dispositis; calycibus 10 glandulosis; samarae dense pubescentis alis valde inaequalibus puberulis. Petioli foliaque eglandulosa, superiora bracteiformia subrotunda. Petala dorso carinato-concava, minute, saepe obsolete, denticulata, glabra. Antherae glabrae. Samarae non muricatae, sed pube densa

obtectae. *Alae rubicundae*, superiores reliquis duplo majores, inter se etiam saepe inaequales. Prope Guayaquil, Jameson n. 351.

Schwannia intermedia Turcz. (§ 2 *Schwannia* Andr. Juss. monogr.). Foliis brevissime petiolatis ovato-lanceolatis, basi subcordatis, apice breviter acuminatis, subtus dense albo-tomentosis, petiolo apice obscure biglanduloso; pedunculis axillaribus foliosis, in axillis superioribus binis ternisve, trifidis, umbellulis 4 floris, floribus hexandris; calycibus 8 glandulosis, petalis (expansis) glabris; samaris puberulis basi exappendiculatis, margine laevibus. Media quasi inter Schw. crassistipulam et elegantem, ab illa samaris appendicibus basilaribus destitutis, ab hac petalis sub anthesi glabris, in alabastro parce pilosis recedens. Praeterea distinguitur a specimine meo Martiano, foliis sensim in acumen attenuatis nec abrupte acuminatis, brevius petiolatis, panícula minus elongata, florente tota foliosa, floribus parum minoribus, glandulisque calycinis 8 nec 4 vel 6. In collectione Brasiliensi Clausseniana anni 1840, absque numero.

Cardiospermum pilosum Turcz. Patentim pilosum velubile; foliis biternatiim sectis, ad costam et rariter ad marginem pilosis, caeterum glabris punctulatis, segmentis primariis petiolulatis acuminatis, basi inciso-dentatis, lateralibus basi longe attenuatis, terminali basi obtuso, dentibus mucronulatis; glandulis hypogynis duabus subrotundis; capsulis glabris. In fruticetis Bahiae legit cl. Salzmann ibidemque cl. Blanchet sub C. parvifloro Cambess. Planta Cambessedesiana hujus nominis differt a nostra pube brevissima adpressa, nec pilis longis et mollibus patentibus vestitis, laciniisque lateralibus segmentorum inferiorum obtusis. Ad hanc verosimiliter referendum est
N 2. 1858.

n 3129 coll. Blanchetianae in paludibus d'Autom prov. Bahiensis proveniens.

Lophozonia, novum genus. Calyx 4 partitus, laciniis aequalibus coriaceis obtusis, extus percursis cristis transversalibus 4—5, e squamis 4—6 plus minus inter se coadunatis formatis. Flores ignoti. Fructus constans e carpellis tribus receptaculo affixis externis triangularibus trialatis, medio compresso bialato, indehiscentibus monospermis, semine adscendente prope medium loculi inserto. Frutex seu arbor glabra, ramis densis, foliis alternis petiolatis approximatis oblongis obtusis inaequilateris, latere inferiore excisis, biserratis; pedunculis axillaribus brevissimis unifloris (monocarpis). Genus e habitu, ut videtur *Bridgesiae* Bert. seu *Tripterocarpo* Msn. affine, sed calyce 4 partito zonato et samaris dissimilibus, non axi communi, sed receptaculo insertis, externisque samarae mediae applicatis differt.

Lophozonia heterocarpa Turcz. In provincia Chilensi Valdivia legit cl. Bridges.

Serjania Ossana DC.? Praeter petiolos inter folia subalatos cum diagnosi satis quadrat. In Cubae prov. la Havana Linden n. 16. Folia pellucide punctata, subtus in axillis barbata, acute serrata.

Serjania megalocarpa Turcz. Tota pube brevi flavicante obtecta; foliis pinnatis trijugis cum impari, foliolis coriaceis reticulatis obovato-ellipticis emarginatis, basi in petiolum brevissimum decurrentibus; fructibus magnis, basi sinu obtusissimo separatis, fere truncatis, reticulatis, apice paulo latioribus. Panicula e racemis axillaribus multifloris elongatis, terminalique constat. Flores ignoti. Venezuela, prov. Caracasana, prope Galipan, alt. 3500 ped. Funck et Schlim n. 143.

Paullinia velutina DC.? Ex Oaxaca Mexici, alt. 3000—5000 ped. Galeotti n. 4309. Folia supra sparse pubescentia, subtus densius pilosa, cinerea. Racemi folia parum excedentes, dense multiflori, floriferi pedunculum subaequantes. Fructus immaturi pubescentes.

Paullinia enneaphylla G. Don.? E. Venezuela, Appun n. 140. Fructibus immaturis aequaliter alatis glabris ciliatis, racemis contractis longe pedunculatis. Cum hac foliorum forma conveniunt at racemis minus contractis, floribusque minoribus recedunt specimina etiam Venezuelensia e prov. Caracas et Carabobo Funckii et Schlimii n. 155 et Funckiana n. 818.

Paullinia anisoptera Turcz. Caule petiolisque nudis rufo-pubescentibus; foliis pinnatis, bijugis cum impari, foliolis lateralibus oppositis breviter, terminali longius petiolatis, lato-lanceolatis, utrinque attenuatis, remote et grosse dentatis, glabris, ad costam venasque puberulis; racemis axillaribus longe pedunculatis folium excedentibus; fructibus pyriformibus trialatis pubescentibus unilocularibus monospermis, alis inaequalibus obtusis (unica majore), ad basin samarae decrescentibus; seminibus fundo samarae affixis erectis, arillo praeter apicem inclusis. Guiana Britannica, Rob. Schomburgk coll. 1837 n. 781.

Paullinia rubiginosa St.-Hil. E Bahia, Blanchet n. 1599. Definitioni, cum stirpe nostra convenienti addatur: foliorum paria remota, foliola omnia brevissime petiolulata, acuminata, serraturis calloso-mucronatis, racemi seu potius spicae simplicissimae ecirrhosae, samarae hexagonae apterae trivalves uniloculares monospermae, valvis acute carinatis. Caulis in specimine nostro striatus nec profunde sulcatus.

Paullinia e Mexico, Sierra San Pedro, Nolasco et caet. Jurgensen n. 926. Species dubia, habitu Paulliniarum foliis biternatis donatarum, caule pilis raris patentibus hirtis, petalorum appendicibus glabris, staminibus monadelphis. Fructus, unicus tantum adest, magnus subpyriformis trilocularis, trivalvis, valvis latis carinatis, non alatis, seminibus in loculo uno solitario arillato normali, in duobus aliis, moniliformi, quasi e tribus coadunatis constante, forsitan per statum morbosum.

Paullinia costata Schlecht. et Cham.? In frustulo a cl. Linden in statu Vera-Cruz Mexici, alt. 4000 ped. lecto n. 900 racemus solus exstat basi bicirrhosus, quo signo a diagnosi jam recedit.

Paullinia pubescens H. B. K.? E Sta Martha, cum Schultesio communicavit Balbis, verosimiliter e coll. Berteiriana, sub *P. tomentosa* Linn. a qua jam foliis biternatis recedit. Ovaria tomentosa subtrialata.

Paullinia alata G. Don; fide speciminum collectionis Chilensis Lechlerianae, in Valdivia lectorum n. 433 est species generis prorsus alius, meo sensu ad Ampelideas pertinentis, cujus characteres suo loco exponentur. Vide *Adenopetalum*.

Schmidelia Bahiensis Turcz. Glabra, foliis trifoliolatis, foliolis lateralibus breviter, medio longe petiolulatis, ellipticis, rarius obovatis, basi rotundatis, apice in acumen breve incurvum desinentibus, integerrimis tenuiter marginatis coriaceis; racemis axillaribus simplicibus, petiolum vix excedentibus, terminalibus ramosis subpaniculatis; petalis esquamatis. Bahia, Blanchet n. 2344. Species cum definitione Candolleana Schm. integrifoliae DC. (Borbonica) praeter folia late-elliptica, neque ovato-lanceolata congruit. Specimen Borbonicum vero (Boivin coll. n. 1375)

folia pleraque habet repando-dentata et a Schm. Javensi Blume non distinguitur, nisi forsan floribus vel fructibus, qui in specimine indicato jam delapsi sunt.

Schmidelia, in collibus Bahiae a Salzmanno lecta. Specimen vix florens, pluribus notis cum descriptione Schm. puberulae Cambess. conveniens sed fasciculo pilorum in axillis foliorum, foliolis lateralibus inaequilateris, racemisque compositis differre videtur.

Schmidelia laevigata Turcz. Glabriuscula, foliis petiolatis trifoliolatis, foliolis sessilibus, utrinque attenuatis, apice obtuso subemarginatis, margine revolutis obtuse crenatis, basi integerrimis, glabris, subtus in axillis barbatis; racemis axillaribus simplicibus folio parum brevioribus; disco angulato undulato; capsula didyma, coccis glabris interdum inaequalibus. Praecedenti affinis, sed glabritae, limbo foliorum usque ad petiolum communem decurrente, racemisque simplicibus diversa, axillis barbatis praeter alias notas a Schm. puberula et laevi Cambess. discrepat. Flores hermaphroditi, nam in specimine fructibus fere maturis onusto, stamina nonnulla persistentia vidi. Petala intus squamula barbata aucta. Bahia, prope Moritibe, Blanchet n. 3536. Ejusdem collectionis n. 3361, prope Igreja Velha lectum, hujus varietas videtur, aut status junior serraturis foliolorum acutis, atque petiolis nervisque pilosulis.

Schmidelia unguicularis Turcz. Ramis cinereis, novellis cum petiolis pedunculisque pubescentibus; {foliis trifoliolatis, foliolis ovato-oblongis acuminatis, basi longe attenuatis subintegerrimis, dein argute serratis, supra ad costas venasque pilosulis, subtus pallidioribus undique pubescentibus; racemis axillaribus solitariis simplicibus

ramosisve petiolum parum excedentibus; glandulis 4 magnis in anulum incompletum approximatis; petalorum ungue elongato laminam duplo excedente; ovariis pilosis subbilobis. Folia inter se inaequalia, superiora longiora. Foliola brevissime petiolulata, terminale aequilaterum, foliorum superiorum 4 pollicare, lateralia inaequilatera minora, costa basi incrassata. Racemi semper petiolum superant, sed dantur folia in axillis sterilibus petiolo triplo longiore suffulta. Flores flavidi e schedula. In Sierra Maestra, prov. St. Jago, insulae Cubae, alt. 2500 ped. Linden n. 1701.

Schmidelia mollis H. B. K.? ex Oaxaca Mexici, alt. 5500 ped. Galeotti n. 4133, a brevi definitione foliolis lateralibus sessilibus argute dentatis, neque repando-denticulatis recedit. An nova species? E specimine imperfecto mihi nota.

Schmidelia velutina Turcz. Tota pube nolli adpressa velutina; foliis petiolatis trifoliolatis, foliolis sessilibus terminali rhombeo vel obovato, aequilatero, apice subattenuato, lateralibus ellipticis obtusis minoribus inaequaliteris, omnibus emarginulatis mucronulatis, minute arguteque serratis, supra pubescentibus ad nervos dense pilosis, subtus undique pilosis, gryseo-incanis; racemis axillaribus solitariis simplicibus, superioribus petiolum adaequantibus, inferioribus duplo brevioribus; glandulis hypogynis unilateralibus 4, interioribus majoribus; capsulis hirsutis subbilobis. Schm. sericeae Cambess. valde affinis, sed omnibus partibus diminuta, nana, foliolum terminale 2—2½ poll. tantum longum, petiolus racemusque vix pollice longiores, praeterea Schm. sericea gaudet racemis petiolum sesquies superantibus. Guiana Britannica, Rob. Schomburgk coll. 1837. n. 741.

Schmidelia grossedentata Turcz. Glabra, ramis tetragonis; foliis trifoliolatis, foliolis petiolulatis inaequalibus ovato-lanceolatis obtuse acuminatis basiue obtusatis vel subattenuatis, limbo inaequaliter decurrente, inaequilateris, grosse sinuato-dentatis glabris nitidis; racemis axillaribus ramosis, ramis erectis, rarius patentibus; calycis laciniis interioribus denticulatis; petalis oblongo-spathulatis exungiculatis, infra apicem lacinula inflexa barbata auctis; glandulis hypogynis binis oppositis; ovario piloso subbilobo. Rami ramulique stomatibus numerosis punctiformibus, ut in plerisque congeneribus oblecti. Folia magna, saepe 5 pollicaria, reticulata, subtus fuscescentia. Racemi foliis minores aut subaequales. Insulae Philippinae, Cuming n. 640. Specimina sub n. 826 ejusdem collectionis a Schm. Javensi Bl. non differunt et forsitan ad varietates hujus adnumeranda.

Schmidelia spicata DC. E Singapore Th. Lobb. n. 472, etiamsi a definitione parum recedat, foliolis caeterum brevissime petiolulatis.

Schmidelia e Philippinis, Cuming. n. 1332. Similis Schm. fulvinervi Bl. sed racemis longissimis simplicibus vel plerumque bifidis ab illa recedit; an var.? Lamina petalorum appendiculam duplo superat in speciminibus Philippinis, individuum vero Blumeorum hanc laminam habet breviorē subtruncatam appendiculae aequalem. Aliter nunc cl. Blume plantam suam describit.

Sapindus Forsythii DC.? Cum brevi diagnosi Candolleana congruit, an sit eadem dubito. Laciniae calycinae in nostra inaequales, duae exteriores minores. Petala calycis longitudine unguiculata, cuneata, ciliata, squamulis duabus barbatis prope basin, forte e margine inflexo provenientibus, coronata Ovarium glabrum 3 locale, sty-

lus indivisus. Foliola inaequilatorum in petiolum brevissimum incrassatum decurrentia ad apicem attenuata, obtusa, imo subtruncata, mucronulata. Philippinae, Cuming n. 539.

Sapindus? e Surinam Hostm. n. 1274 a definitione huius generis antheris basi affixis recedit, at cum nullo alio congruit. Calyx 5 partitus. Corollae petala 5 calyce duplo longiora alba, intus prope basin squamula ipsis longiore, intus pilosa, extus barbato-villosissima aucta. Discus integer, stamina 8, filamentis filiformibus glabris, antheris oblongis bilocularibus, longitudinaliter dehiscentibus. Ovarii rudimentum villosum. Flores foemineos aut hermaphroditos neque fructus vidi. Folia 3—6 juga, foliolis petiolo parvo glanduloso-incrassato insidentibus, superioribus oppositis, inferioribus alternis, aut in foliis multijugis omnibus alternis, oblongo-lanceolatis longe acuminatis, inaequilateris, integerrimis, coriaceis, glabris, reticulatis. Paniculae compositae ramis racemosis subdivergentibus. An *S. Surinamensis* Poir? Insertio antherarum in hoc genere varia videtur, nam in *S. laurifolio* Vahl. fide speciminis Metziani e Canara n. 355 antheras terminales video.

Sapindus cinereus Turcz. Foliis trijugis, petiolo aptero, foliolis petiolulatis oppositis vel subalternis ovato-lanceolatis, obtuse acuminatis, mucronulatis, basi parum attenuatis, aequilateris, integerrimis glabris, supra nitidulis, subtus opacis cinereis; panicula terminali decomposita, floribus polygamis; petalis cuneatis obtusis esquamatis, praeter apicem utrinque dense pubescentibus, calycem subaequantibus; ovario bilobo, stylo bifido; fructus lobis valde inaequalibus papilloso-punctatis. *S. laurifolius* e habitu nostro satis similis, differt foliis utrinque viridibus

majoribus, petalis ad medium minute bisquamatis, calycem duplo superantibus, antheris adnatis (in nostro versatiles) styloque indiviso. Filamenta in utroque hirsuta. *S. squamosus* Roxb. et fruticosus Roxb. e diagnosi praeter alias notas petalis squamatis, *S. detergens* Roxb. stylo indiviso recedunt. Ad *Nephelia* referri nequit propter stamina libera. Insulae Philippinae, Cuming n. 1131 et 1570.

Sapindus stellulatus Turcz. Foliis 2—3jugis, petiolo aptero, foliolis petiolulatis alternis oblongo-lanceolatis acuminatis basique attenuatis, acumine obtuso mucronulato, aequilateris, integerrimis, supra lucidis, pilis minutissimis stellatis sparsis obtectis, subtus pallidioribus opacis, punctato-stellatis praecipue ad nervos; panicula terminali decomposita; petalis cuneatis obtusis esquamatis dorso pubescentibus, intus a medio ad apicem glabris, calycem subduplo superantibus; ovario bilobo, lobis inaequalibus; stylo breviter bifido. Insulae Philippinae, Cuming n. 1704. Foliorum costae et venae, in hoc et praecedente elevatae.

Sapindus? cultratus Turcz. Foliis 6—7jugis, petiolo aptero, foliolis oppositis aut inferioribus subalternis, petiolulatis, utrinque attenuatis, cultriformi-subfalcatis, valde inaequilateris, latere superiore duplo latiore, margine convexo, integerrimis, glabris, pellucido-punctatis; panicula terminali foliis brevior; petalis (floris masculi) stipitatis ovato-subrotundis ellipticisve obtusis, infra medium squamis duabus crassis pubescenti-barbatis auctis; ovario imperfecto hirtulo astylo. Flores foeminei aut hermaphroditi ignoti, ideoque species quoad genus dubia. Calyces pubescentes petalorum longitudine. *S. Rarek* DC. distinguitur foliolis 12jugis et fide speciminis Blumeani

(cujus folia mutilata sunt) foliolis rectis obtusis. Philippinae, Cuming n. 1304.

Sapindus rufescens Turcz. Ramis striatis sulcatisve, praesertim superne tomentosis; foliis subtrijugis, foliolis alternis subsessilibus ellipticis basi obliquis inaequilateris, apice obtusis emarginatis, integerrimis, margineque revolutis, supra glabris nitidis, subtus reticulatis rufis, ad nervationes molliter pilosis; racemis supra-axillaribus dichotomis folio brevioribus; petalis longe stipitatis, stipite calycem aequante, lamina obtriangulari, apice denticulata glabriuscula, supra unguem appendiculis duabus hirtellis aucta; ovario trilobo hirsuto, stylo filiformi trifido. Species petalorum structura insignis, ad *S. angulatum* Poir. forte accedens, sed folia in nostro elliptica nec late ovata. Foliola superiora sessilia ovata ad basin valde incrassata, superiora petiolo brevissimo crasso insidentia. Fructus desideratur. Inter plantas collectionis Brasiliensis Clausenianae 1840, absque numero.

Sapindus e Java aut Sumatra, Göring II n. 38. Foliis 4jugis, petiolo aptero, foliolis oppositis petiolulatis oblongo-lanceolatis acuminatis, superioribus basi obliquis attenuatis, inferioribus subcordatis remote-dentatis glabris aut ad costam parum pubescentibus, nervis elevatis; panícula parum composita; fructu bilobo, lobo altero subovato magno maculis irregularibus notato, alterno conformi multo minore. An *Nephelii* species? Fructus paucissimos non examinavi.

Cupania? e Guiana Britann. Schomburgk 1837 n. 381? Verus numerus ignotus, nam sub hoc *Licania crassifolia* a cl. Bentham descripta. Specimen imperfectum, foliis bijugis, foliolis oblongis vel obovato-oblongis integerrimis glabris, petalis (in flor. masculis) squamula ipsorum

fere longitudine aucta. Eadem videtur postea accepta *Cupania inelegans* Spruce.

Cupania e coll. Brasil. Claussenii 1840. Memorabilis appendice petalorum biloba, ipsa petala superante. Folia trijuga, foliolis alternis brevissime petiolulatis, lanceolatis, obtuse acuminatis, integerrimis, glaberrimis. Flores corrupti plerumque.

Cupania e Philippinis, Cuming n. 1237. Specimina plurima floribus non evolutis paucis et fructibus anni praeteriti persistentibus onusta. Differt a *Cupania* fructu vix pyriformi stipitulo minimo insidente, acute trigono trivalvi, valvis septiferis, triloculari, loculis monospermis, floribusque in racemum amentiformem dense congestis, in bractea carnosa intus concava sessilibus. Sepala 5, hinc inde petala excavata, staminaque 8 observavi. Folia 4juga, foliolis alternis petiolulatis oblongo-lanceolatis acuminatis glabris integerrimis, aut hinc inde parce denticulatis. Capsulae lignosae, semina corrupta.

Cupania Lessertiana Cambess. (*Mischocarpus Sundai-cus* Bl.). A specimine Blumeano parum recedunt foliis minoribus Cumingianum Philippinum n. 1389 et Javanicum Zoll. n. 2579. Magis distat specimen alterum Javanicum Zoll. n. 3266 capsulis apice manifeste trilatis. Num specimina florifera n. 507 ad *C. Lessertianam* pertineant ipse collector dubitat. Diversa videtur foliis latioribus coriaceis, ramisque paniculae approximatis.

Cupania Mexicana Turcz. Foliis 3—4jugis, rhachi supra explanata vel canaliculata, subtus convexa; foliolis alternis in petiolum brevissimum crassum decurrentibus, oblongo-lanceolatis, obtuse acuminatis, marginulatis, integerrimis, glabris, supra nitidis, subtus fusciscentibus;

panicula decomposita foliis longiore; petalis nullis; capsulis pyriformibus trialatis, junioribus dense flavido-pubescentibus; stylis filiformibus, stigmatibus 3 involutis. Mexico, prope Miradores, alt. 3000 ped. Linden n. 734 et in Oaxaca Galeotti n. 3092.

Cupania v. *Canara* Ind. orient. Metz coll. n. 835. Recedit a caractere generico capsularum pyriformium angulis exalatis.

Otolepis nigrescens Turcz. Capsula non semper unilocularis monosperma et forte per abortum talis evadit. In specimine nuper accepto vidi capsulam bilocularem loculis monospermis, seminibus loculos implentibus.

Schleichera subundulata et revoluta Turcz. Forsan melius ad Cupaniam referendae; donec ovarium magis evolutum aut fructus videre licebit sub *Schleichera* relinquo.

Dodonaea viscosa Linn. 1) Specimina Mart. fl. Bras. n. 397, pro parte a cl. Schlechtendal ad suam D. Brasiliensem relata; (in nostris alae capsulae loculamentum adaequant vel parum latiores, nunquam angustiores), 2) specimina Bahiensia Blanchetiana, foliis brevioribus et saepe obtusis mucronulatis recedentia: in his lobi alarum capsulae sese invicem obtegunt. 3) Manillensia, collectionis ignotae et Javanica Zollingeriana n. 1561, in quibus alae loculo revera angustiores sunt et sensim ad basin in latitudine decrescunt; hanc pro D. Brasiliensi accepissem nisi patria obstaret, an D. Burmanniana DC? cujus fructus in speciminibus determinatis deficit, mihiq; ignotus. 4) Specimen Quitense, Jameson n. 317, quod a Martianis nonnisi foliis minoribus distinguitur.

Dodonaea e Java Zoll. n. 2708. Verosimiliter nova species a *D. Waitziana* Bl. panicula terminali ramosa diversa. Specimina tantum mascula.

Dodonaea nutans Turcz. Foliis oblongo-lanceolatis, basi in petiolum brevissimum longe, apice breviter angustatis lucidis subviscosis lepidotisque; racemis axillaribus prope basin infractis nutantibus, floribus dioicis; capsulis trialatis, alis latis sinu obtuso superatis, latitudinem loculorum non superantibus. Ramuli superne compressi, medio triquetri, adulti teretes. Folia majora tripollicaria, ad summum 4 lin. lata. Racemis nutantibus ab affnibus facile dignoscitur. A *D. dioica* Roxb., specie e sola definitione, suad. cl. Schlechtendal non recognoscenda, jam foliis viscidulis recedere videtur. Flores masculos non vidi. In regno Mascatensi Auch. Eloy n. 4171 A.

Dodonaea linearifolia Linden. coll. Cubens. n. 2070. A. *D. angustifolia* Thbg et Mundtiana E. et Zeyh., quascel. Schlechtendal ad unam eandemque speciem pertinere suspicatur distinguitur foliis sesquies longioribus, tamen anguste-oblongis, basi longe apice breviter angustatis, neque linearibus.

Dodonaea ericoides Miq.? Specimen meum masculum fere glabrum hexandrum, foeminea fructusque non vidi. Nova-Hollandia, Drumond IV. n. 256.

Dodonaea triangnlaris Lindl.? Folia pilis longiusculis mollibus vestita, neque stricto sensu pubescentia, similes pili et in ramulis adsunt, sed densiores. Caeterum congruit, eo magis quod specimina nostra sunt foeminea et fructifera, cl. Lindley vero flores masculos tantum vidit. Capsulae trialatae, alis crassiusculis loculo angustioribus.

Fructus ex axillis superioribus nascentes congesti pedunculati, pedunculis solitariis unifloris.

Dodonaea adenophora Miq. Forma foliolorum variabilis, interdum omnia integerrima, interdum inferiora bifida vel emarginata. Nova-Hollandia, Drum. coll. V. n. 38.

Dodonaea larreoides Turcz. Glaberrima, viscosa, foliis impari-pinnatis 6—11jugis, rhachi inter paria praesertim superiora alata, foliolis sessilibus oppositis subalternisque oblongis acutiusculis; capsulae trialatae alis quam loculi monospermi duplo latioribus, ad basin decrescentibus. Species jugorum numero a praecedente et *D. tenuifolia* Lindl. distincta, capsula exacte *D. adenophorae*. Odor plantae etiam siccae gravis rutaceus. Nova-Hollandia, Drum. III. n. 213.

Dodonaea inaequifolia Turcz. Glaberrima viscosa, foliis impari-pinnatis 8—12jugis, rhachi canaliculata triquetra; foliolis sessilibus oppositis alternisque obtusis, mox linearibus, mox duplo brevioribus oblongo-ellipticis; capsulae trialatae in medio loculum monospermum latitudine aequantibus, ad basin et apicem decrescentibus. Forma alarum capsulae ab omnibus mihi notis nonnihil diversa. Cotyledones arcuatae; radicula antitropa umbilico contraria nec hilum spectante a definitione generica Endlicheriana recedit. An eadem structura et in aliis speciebus pinnatifoliis, propter semina non omnino matura observare non potui. Flores omnium mihi ignoti. Nova-Hollandia, Drum. IV. n. 258.

Tarrietia? e Philippinis Cuming n. 1720. E habitu et foliorum forma ad hoc genus retuli, sed fructu imo floribus foemineis deficientibus dubia, cl. Blume vero flores suae speciei non vidit. Arbor seu frutex ramis pubescen-

tibus, foliis alternis petiolatis, 5foliolatis, foliolis petiolulatis oblongo-lanceolatis, utrinque attenuatis, serratis, supra inter venas parce, ad costam et venas subtusque dense pubescentibus; racemis axillaribus simplicibus vel bifidis e fasciculis florum minorum alternis vel suboppositis constantibus, folio brevioribus. Calyx 4partitus, aestivatione imbricativa. Petala 4 fasciculis duobus pilorum aucta. Stamina 8 circa discum hypogynum inserta. Insula Philippina Samar.

Aglaja Cumingiana Turcz. Foliolis 3 — 7 petiolulatis, oppositis aut subalternis oblongo-lanceolatis obtuse acuminatis, basi praesertim foliolo superiore, longe attenuatis integerrimis; paniculis effusis glabris; calycibus 5partitis glabris; tubo stamineo 5dentato; stylo brevissimo, stigmate obsolete 5lobo. Folia fere aequilatera. Ovarium in speciminibus nostris in statu valde juvenili reperitur, tamen clare uniloculare. Antherae in parte interiore dentium tubi sitae sessiles. Species individuis Blumeanis *A. odoratissimae* persimilis, distinguitur tamen foliis basi magis attenuatis, paniculae glabrae ramulis distantibus, floribus numerosioribus et paulo minoribus, calycibus glabris et tubo stamineo 5dentato, neque truncato. In provincia Pangasanan insulae Luçon, Cuming n. 1008.

Aglaja macrobotrys Turcz. Foliolis 5—7 petiolulatis oppositis aut subalternis, ovato-oblongis oblongo-lanceolatisve, obtuse mucronulatis, valde inaequilateris, basi parum attenuatis, superiore obovato-oblongo basi longius attenuato, integerrimis aut apicem versus obsolete denticulatis, supra glabris, ad venas bullato-rugosis, subtus punctis lepidotis rufis vestitis; panicula ampla ramosissima; calycibus 5fidis lepidotis; petalis sub anthesi conniventibus; tubo stamineo truncato; ovario uniloculari

lepidoto, stylo nullo, stigmatе clavato indiviso. Species in genere panicula maxima sesquipedali insignis, tamen fructu deficiente cum praecedente et sequente dubia, quamvis habitu simillimo cum descriptis conveniat. In provincia Albay insulae Luçon, Cuming n. 902.

Aglaja denticulata Turcz. Foliis 7—9 foliolatis, foliolis petiolulatis alternis, rarius oppositis, inferioribus ovatis, caeteris obovato-oblongis acuminatis, basi plus minus attenuatis, inaequilateris, margine versus apicem revolutis, obsolete undulato-denticulatis, supra glabris, subtus sparse lepidotis; panicula lepidota foliis breviorе; calycibus 5 fidis; tubo stamineo truncato; ovario lepidoto uniloculari; stylo nullo, stigmatе convexo. Crispatio marginis foliorum etiamsi ope lentis, tamen magis quam in praecedentibus perspicua. Insulae Luçon, Cuming n. 761.

Aglaja hexandra Turcz. Foliis 10—11 foliolatis, foliolis petiolulatis alternis, late lanceolatis acuminatis, basi attenuatis, inaequilateris, subundulatis, glabris, supra rugulosis, subtus lepidoto-punctatis; paniculis supra-axillaribus amplis, foliis tamen brevioribus; calycibus sub 5 partitis, laciniis duabus exterioribus minoribus; tubo stamineo 6 dentato, intus 6 antherifero, antheris in medio dentium sessilibus exsertis; ovario uniloculari glabro; stigmatе sessili conico-convexo. Numero staminum, antheris pro genere magnis exsertis a congeneribus recedit et forte cognito fructu in novum genus erigenda. Insulae Philippinae Luçon et Mindoro, Cuming n. 1410 et 1583.

Nemedra? ex insula Luçon, Cuming n. 772. Plurimis notis cum definitione hujus generis convenit et forsан ejus species secunda. A specie descripta recedit petalis tubo stamineo basi adhaerentibus et stylo (caeterum

floris non perfecte evoluti) triquetro pyramidato, vix trilobato.

Oraoma, novum genus. Calyx 5dentatus ebracteatus. Corolla 3partita ovata, tubus stamineus urceolato-globosus truncatus, intus prope oram antheras 6 sessiles inclusas gerens; antherae ovatae biloculares, longitudinaliter dehiscentes. Ovarium depressum annulo brevi carnoso cinctum 3 locale, loculis biovulatis, ovulis superpositis. Stylus brevissimus fere nullus. Stigma capitatum indivisum. Invitus hoc genus, fructum ignoscens, condidi, sed ad nullum alium amandare potui Habitu cum *Aglaja* satis congruit, sed corolla tripartita, antheris 6 et ovario triloculari longe abhorret, a *Milnea* etiam structura corollae et staminum numero diversum, ab *Ambora* Roxb., cui propior, recedit etiam calyce et corolla. Arbor seu frutex foliis impari-pinnatis sub 4jugis, foliolis petiolatis glabris punctis lepidotis adspersis elliptico-lanceolatis longiuscule acuminatis, panícula ramosissima, floribus pedicellatis parvis, corollis extus lineis nigricantibus notatis. Nomen est anagramma *Amorae*. Prope Mercara, in terra Canara Indiae orientalis. *O. Canarana* Turcz.

Schizochiton tetrapetalus Turcz. Foliolis circiter 15 oppositis oblongo-lanceolatis, longe acuminatis, basi angustatis inaequilateris integerrimis glabris; paniculae elongatae ramis brevibus, ramulis brevissimis 1—3 floris, petalis 4. Non absimilis est *S. patenti* Bl., at foliorum jugis numerosioribus, foliis angustioribus et longioribus longiusque acuminatis, paniculae ramis primariis etiamsi brevibus, tamen longioribus ut in *S. patente*, subsimplicibus neque iterum in ramulos compositos multifloros divisus, praesertim vero petalorum numero. Reliqua structura floris exacte eadem ac in duabus speciebus descriptis,

nisi quod flores in nostro majores sunt. Insulae Luçon prov. Tayabas et caet. Cuming n. 822.

Hartighsea e Philipp. Cuming n. 1145. Nova species esse videtur, sed flores nondum bene evoluti. E paucis terminalibus in racemo, quos mihi examinare licuit ad hoc genus retuli.

Hartighsea cauliflora Turcz. (Macrochiton). Foliis 4—5jugis cum impari, foliolis oppositis petiolulatis obovato-oblongis, utrinque attenuatis, inaequalibus integerrimis, supra glabris, subtus cum petiolis petiolulisque pilosis; racemis brevibus simplicibus e trunco infra folia nascentibus; calycis bifidi laciniis bidentatis; petalis 4 a medio reflexis; tubo stamineo 8dentato, 8andro; ovario 4loculari, loculis biovulatis. Flores parvi, at inter affines majusculi dicendi. Calyx albido-tomentosus. Petala atropurpurea. Tubus stamineus petalis non adnatus, illis paulo brevior 8fidus, laciniis reflexis emarginatis, intus glaber. Antherae erectae sessiles oblongae, tubilaciniis alternæ. Tubulus ovarium cingens membranaceus crenulatus pilosus. Ovarium pilosissimum depressum. Stylus compresso-cylindricus tubum stamineum superans, prope ovarium dense, dein rarius pilosus, versus stigma glaber. Stigma disciforme crassiusculum, basi annulo cinctum glabrum. Fructus desideratur. In prov. North-Ilocos insulae Luçon, Cuming n. 1411.

Hartighsea schizochitoides Turcz. (Macrochiton). Foliis 11—12jugis cum impari, foliolis petiolulatis alternis oblongo vel lineari-ellipticis acuminatis, rarius obtusis, inaequilateris, latere inferiore excisis, integerrimis glabris, subtus ad axillas interdum barbatis; paniculae laxae puberulae ramis divaricatis, ramulis brevibus subsexfloris; calyce incano truncato vel absolute 4lobo; petalis

4 linearibus tubo stamineo usque ad medium adnatis: ovario 4 loculari, loculis biovulatis. Petala rubentia, in parte libera reflexa. Tubus stamineus 8 crenatus, brevis, intus glaber. Antherae sessiles tubi crenis alternae. Tubulus ovarium ambiens, styli dimidium attingens, cylindricus, pilis brevibus vestitus. Ovarium cum basi styli pilosum. Species e calycis forma et inflorescentia ad Schizochitonas vergit, caeteri characteres Hartighseae. Insula Philippina Mindoro, Cuming n. 1560.

Sandoricum Indicum Linn. Specimen fructiferum Blumeum, sub nomine *S. nervosum* Bl. in herbario Schultesii servatum congruit cum floriferis Javanicis Zollingerianis n. 429. Sed Philippina Cumingiana n. 1116 recedunt plurimis notis, nempe foliis subtus densius tomentosis incanis, venis foliolorum distantibus, floribus majoribus atque tubo stamineo, praesertim inferne piloso. An varietas *S. Judici*? an est vera species Linnaeana?

Moschoxylum emarginatum Turcz. Foliis bijugis cum impari, foliolis sessilibus oblongo-ellipticis emarginatis, basi attenuatis; glabris nitidis, rhachi marginata; racemis axillaribus brevibus partem nudam petioli superantibus; calyce brevissime 4 dentato; petalis 4, rarius 5 ima basi junctis; tubo stamineo 4 rarius 5 crenato, crenis bidentatis, inter crenas et dentes antheriferis, antheris alternis brevioribus; ovario villosa, stylo brevissimo, stigmate subcapitato. La serra Aeurua Bahiae, Blanchel n. 2977.

Moschoxylum cuneatum Turcz. Foliis 1—3 jugis cum impari; foliolis cuneato-obovatis vel cuneato-oblongis, superne plus minusve attenuatis, ipsa apice obtusiusculis, inferne fere ad rhachin decurrentibus integerrimis glabris; rhachi inter foliola compresso-marginata, superius sensim dilatata; racemulis axillaribus abbreviatis fasci-

culiformibus; calycibus profunde 4, rarius 5 partitis; tubo stamineo 8, rarius 10 fido, laciniis dentatis, dentibus angustis acuminatis, inter dentes antheriferis, antheris decum incurvis; ovario triloculari glabro, stylo incluso, stigmatibus disciformi. Planta valde variabilis foliorum longitudine numeroque partium, in flore tetrapetalo vidi interdum antheras 10 et in pentapetalo 8. Flores lutei parvi. Ovula in loculis semper gemina collateralia observavi. Calyx et stigma fere Carapae, sed ovario triloculari magis ad Moschoxyla vergit. Inter Trichilias, *Tr. micrantha* Bth. eandem cum *M. cuneato* structuram urceoli antheriferi habet, sed species haec ab auctore dubitanter ad *Trichilias* relata. Ignoto fructu melius duxi stirpem nostram inter *Moschoxyla* collocare, nam in hoc genere structura indicata omnibus speciebus communis esse describitur. Mexico, Miradores alt. 3000 ped. Linden n. 733, in statu Vera Cruz, Linden n. 70, in Oaxaca Galeotti n. 525 atque in Sierra San Pedro Nolasco, Talea et caet. Jurgensen n. 591 et 878.

Dasycoleum, novum genus. Calyx truncatus obsolete 5dentatus. Corollae petala 5 linearia, aestivatione valvata, basi inter se breviter connexa, a tubo stamineo libera. Tubus stamineus cylindrico - urceolatus 5crenatus, crenis emarginatis. Antherae 5, crenis alternae lineares inclusae, biloculares, longitudinaliter dehiscentes. Ovarium nudum (idest annulo vel tubo non circumdatum, stipite brevi et crasso insidens, oblongum, angulatum, solidum, versus apicem uniloculare. Ovula in loculo gemina collateralia pendula. Stylus ovarii longitudine cylindricus, stigmatibus discoideo. Arbor foliis impari-pinnatis, sub 6jugis, foliolis petiolulatis oblongis subfalcatis acuminatis, basi obliquis integerrimis glabris, paniculis

calycibus petalisque extus tenuiter pubescentibus, petalis sub anthesi reflexis subcontortis calycem multo superantibus, tubo stamineo extus ad medium pilis brevibus densis vestito; ovario et stylo puberulis. Genus ignoto fructu, quo ad sectionem incertum, verosimiliter inter Aglajam et Milneam collocandum.

Dasycoleum Philippinum Turcz. In provincia Tayabas insulae Luçon, Cuming n. 683.

Piptosaccos, novum genus. Calyx saccatus anthesi incipiente irregulariter in lacinias 2 — 4 irregulares ruptus, ante expansionem petalorum deciduus (unde nomen). Petala 4 linearia inter se et cum tubo stamineo libera. Tubus stamineus 8 fidus, inter lacinias intus antherifer, antheris inclusis parallelogramis, longitudinaliter dehiscentibus. Ovarium oblongum pyramidatum tetragonum villosissimum, 4loculare, loculis multiovulatis, ovulis angulo centrali biserialim insertis. Stylus filiformis. Stigma disciforme crassum. Arbor, ramis cinereis, foliis imparipinnatis 4—5jugis, foliolis petiolulatis oblongis inaequilateris, basi excisis, breviter acuminatis, supra glabriusculis, subtus ad costam et partim ad venas puberis, racemis brevibus infra folia sitis paucifloris.

Piptosaccos hypophyllantha Turcz. Habitat in Java au Sumatra. Göring II. n. 326.

Cedrela montana Moritz coll. Venezuel. n. 1680 distinctissima foliis subcordatis subaequalibus, subtus rufo-pubescentibus.

Cissus flexuosa Turcz. Glabra ecirrhusa, caulibus terebibus flexuosis; foliis petiolatis oblongo-ellipticis acuminatis, basi parum attenuatis, interdum inaequilateris integerrimis penninerviis; corymbis axillaribus trichotomis,

puberulis, foliis multo brevioribus, petiolum superantibus; baccis oblongis monospermis. — Calyx truncatus, petala linearia. In prov. Albay insulae Luçon, Cuming n. 891.

Cissus Wallichiana Turcz. Caule ramisque teretibus glabriusculis; foliis petiolatis rhombeo-lanceolatis acuminatis subquinquenerviis integerrimis rotundatis glabris; pedunculis furfuraceo-lepidotis, lateralibus terminalibusque ramosis, ramis umbelliferis, umbellis multifloris; petalis extus furfuraceis. Nepal, Wallich coll. n. 4908.

Cissus microphylla Turcz. Glabra, caulibus teretibus, ramulis compresso-angulatis; foliis petiolatis ovatis oblongisve utrinque subattenuatis obtusis, calloso-mucronulatis integerrimis penninerviis, subtus ferrugineo-punctulatis; corymbis axillaribus vel oppositifoliis dichotomis folio brevioribus; calycibus truncatis. Folia pollicaria semipollicem vel paulo magis lata. Pedunculi, pedicelli calycesque guttulis pellucidis adpersi. C. b. spei Eckl. et Zeyh. sub design. Ampelidea n. 2.

Cissus Japonica Willd.? E China, Fortune n. 101. A. Recedit a definitione foliolis subtus praesertim ad nervos puberulis. Petioli adhuc magis pubescunt.

Vitis Cumingiana Turcz. Glabra, caulibus tetragonis cinereis; foliis 3 foliolatis, foliolis, petiolulatis ovato-ellipticis acuminatis serratis; racemis axillaribus ramosis bracteatis, bracteis, membranaceis caducis; stylo sub nullo. stigmate peltato disciformi antheras tegente. Species distinctissima, bracteis ad originem pedunculorum majusculis linearibus, reliquis minoribus. Prov. Cagayan insulae Luçon, Cuming n. 1173.

Adenopetalum, novum genus. Calyx brevissimus, obsolete 5 dentatus. Petala 3, aestivatione valvata, extus

ad basin biglandulosa. Stamina 3, petalis opposita, filamentis basi in cupulam connatis, supra filiformibus, antheris ovatis, bilocularibus, longitudinaliter lateribus dehiscentibus. Ovarium triloculare, loculis uniovulatis. Stylus simplex apice subclavatus trisulcus. Bacca (immatura) trilocularis, seminibus e fundo loculi adscendentibus. Frutex seu arbor volubilis, ramossima, glabra, cirrhosa, cirrhis ramulis tetragonis oppositis, foliis alternis petiolatis 5 foliolatis, foliolis cuneatis apice argute serratis, corymbis oppositifoliis paucifloris, floribus parvis in sicco virescentibus.

Adenopetalum palmatum Turcz. In provincia Chilensi Valdivia, Lechler coll. n. 433, forte mixta cum alia planta, pro Paullinia elata G. Don gener. syst. of gard. and bot. 1. 660 Walp. rept. 1. p. 413. determinata, aut schedula permutata.

Geranium multiceps Turcz. Radice multicipiti, caulibus numerosis ad medium saepe aphyllis, dein ramosis gracilibus adscendentibus pubescentibus; foliis longe petiolatis, utrinque pube adpressa vestitis, ad medium vel profundius trifidis, adjectis partitionibus lateralibus minus profunde 5 fidis, omnibus partitionibus 2—3 dentatis, dentibus obtusis mucronulatis; pedunculis pedicellisque gracilibus subaequalibus; sepalis basi pubescentibus mucronulatis, petalis retusis glabris duplo brevioribus; staminibus ciliolatis; carpellis pilosis. Planta semipede humilior perennis, caespitibus numerosis nigricantibus, reliquiis foliorum annorum praeteritorum obtectis. Flores dicuntur albi et purpurei. In prov. Meridensi Venezuelae prope Muchuchi, alt. 11,000 ped. Funck et Schlim n. 861.

Geranium velutinum Turcz. Perenne, caulibus adscen-

dentibus, pilis patentibus mollibus velutinis, plus quam ad medium aphyllis; foliis radicalibus longe petiolatis profunde 5partitis, partitionibus cuneiformibus 3—5fidis, dentibus mucronulatis, molliter pubescentibus, subtus ad nervos pilosis, caulinis brevius petiolatis saepe 3partitis; pedicellis geminis solitariisque subsessilibus, aut pedunculo brevi fultis; petalis obtusis glabris sepala pilosa mucronulata sesquies superantibus; filamentis ciliatis; carpellis pilosissimis. Caules 1—2 e radice, flores carnei. Venezuela, in prov. Meridensi, Paramo de Portechuelo, alt. 8500 ped. Funck et Schlim n. 1251.

Germanium subnudicaule Turcz. Perenne, radice obliqua, caule basi adscendente gracili nudo glabriusculo, apice tantum parum ramoso et folioso; foliis radicalibus longiuscule petiolatis cordato-rotundis 5partitis, partitionibus inciso-dentatis, utrinque punctulatis, supra pilis raris obsessis; pedunculis pedicellisque patentim pilosis subaequalibus; petalis glabris sepala basi dense pilosa mucronulata subduplo superantibus; filamentis ciliolatis. Basis caulis reliquiis foliorum emortuorum vestitus, sed folia viva annotina in eadem altitudine nascuntur. Sierra Nevada prov. Meridensis Venezuelae, alt. 9000 ped. Funck et Schlim n. 1127.

Geranium Lindenianum Turcz. Perenne, caule erecto prope radicem foliis numerosis superpositis, stipulisque ovato-lanceolatis setaceo-acuminatis dense ciliatis vestito, medio aphyllis, supra medium dichotome ramoso folioso et florifero foliis patentibus, inferne rarioribus oblectis; foliis inferioribus longe petiolatis cordatis, profunde spartitis, partitionibus rombeis inciso-pinnatifidis utrinque pubescentibus, subtus ad venas pilosis, caulinis breviter petiolatis; pedicellis geminis pedunculo parum breviori-

bus; petalis reticulatis glabris calycem pilosum mucronulatum duplo excedentibus; filamentis longe ciliatis; carpellis pubescentibus. Species distinctissima stipularum magnitudine et forma, atque dispositione foliorum inferiorum, quae non circa collum approximate nascuntur; sed basibus suis et stipulis partem inferiorem caulis per spatium 3 pollicum dense obtegunt. Tota planta circiter bipedalis. Flores majusculi, e schedula purpurei. Venezuela, Linden coll. n. 1394.

Erodium pauciflorum Turcz. Caulescens, setis retrorsis hispidum; foliis radicalibus petiolatis, oblongis subcordatis inciso-pinnatifidis: segmentis inciso-dentatis glabris, dentibus tantum pilosis, petiolis marginatis, caulinis inferioribus petiolatis subtus, alteris sessilibus utrinque pilosis; pedunculis axellaribus et terminalibus solitariis 2—3 floris; petalis calycem pilosum paulo excedentibus; carpellis piloso-pubescentibus. 7—8 pollicare, folia superiora dentibus acutiusculis praedita, setae caulis usque ad pedunculos albae, basi dilatatae-complanatae, caulis pars superior pedunculique glanduloso pubescentes, flores in sicco sordide lutescentes apparent. In Chili, prov: Valparaiss, Bridges coll: absque numero.

Pelargonium stenanthum Turcz. (Peristera). Ramis decumbentibus villis longis patentibus raris, in extremitatibus saepe condensatis vestitis; foliis basi cordatis, ovatis, inaequaliter crenatis, crenis obtusiusculis, utrinque sparse pilosis, pilis ad nervos paginae inferioris magis copiosis rigidulis; laciniis calycinis ovato-lanceolatis acutis pilis longis raris vestitis, quam petala linearia acuminata unicolora parum brevioribus; stamimbus fertilibus 4. Petala rosea, estriata. Affine *P. australi* Willd. sed praeter numerum staminum fertilium recedit indumento

caulis et calycis rariore, foliorum crenis parum profundioribus, foliis glabrioribus, petalisque unicoloribus, nullis striis saturatioribus pictis. Nova Hollandia, Drumond coll. V. n. 193.

Pelargonium caespitosum Turcz. (Campylia). Radice lignescente; caulibus caespitosis abbreviatis basi stipulis subinduratis annorum praeteritorum tectis, apice folia pedunculosque floriferos emittentibus; foliis longe petiolatis oblongo lanceolatis, utrinque acutis, distincte et inaequaliter serratis, cano-sericeis; stipulis liberis longe acuminatis; pedunculis 3—5 floris, cum floribus vix folia superantibus; sepalis setaceo-acuminatis glanduloso-pilosis, unico caeteris majore; petalis duobus longioribus, basi dilatato-auriculatis. *P. elatum* Drege coll. Cap. non DC. Tota planta vix $4\frac{1}{2}$ poll. alta.

Pelargonium Ecklonii Turcz. (Myrrhinium). Fruticosum, caule pilis longis patentibus dense vestito; foliis bipinnatisectis molliter villosis, segmentis obtusiusculis; umbellulis 3—5 floris; tubo nectarifero longissimo, pedicellis parum brevioribus; petalis 5, duobus superioribus plus quam duplo majoribus; staminibus fertilibus 5; rostris carpellorum in medio spiraliter tortis, longe piliferis. Prostat in collectione primaria (unionis itinerariae) Ecklonii sub n. 616, postea ab Ecklonio et Zeyherio ad *P. athamantoidem* L'Her. injuste relato, nam planta Heritieriana praeter alias notas jam petalis inter se aequalibus distincta. Habeo etiam a beato Zeyherio communicatum sub nomine *P. myrrhifolii* var.

Pelargonium meifolium Msn.? (Myrrhinium) Zeyh. coll. Cap. n. 2066. Omnibus characteribus quadrat praeter calycem tubo nectarifero duplo brevioribus et pedicellis inter se subaequalibus. An varietas? Specimen unicum.

Pelargonium Zeyh. coll. n. 2059. Secundum Drege Vergl. est Myrrhinium fruticosum E. et Z. sive Geranium fruticosum Cav. sed a definitione Candolleana recedit pedunculis unifloris, a P. fruticoso Drege coll. diversissimum.

Pelargonium Drumondii Turcz. (Alchimilloidea) Caule suffruticoso crasso ramisque angulatis, pilis patentibus mollibus vestitis; foliis inferioribus longe, superioribus breviter petiolatis cordato-angulatis, breviter 5lobis, lobis obtusis obtuseque et inaequaliter crenatis supra pubescentibus, subtus praesertim ad nervos pilosis; umbellis 5floris, pedicellis pedunculo plus quam duplo brevioribus; tubo nectarifero calyce parum brevior; petalis aequalibus calycem pilosum fere duplo superantibus. Petala in sicco alba, nonnulla medio lineis sanguineis picta. Nova Hollandia, Drum. V. n. 191.

Pelargonium leucophyllum Turcz. (Cortusina). Caule erecto simpliciusculo, superne canaliculato vel subtriquetro, molliter pubescente; foliis inferioribus longe, superioribus gradatim brevius petiolatis, sinu lato, cordatis vel subreniformibus obtusis, saepe plicatis et obsolete lobatis, obtuse crenatis, supra molliter pubescentibus, subtus cano-tomentosis; pedunculis sub 5floris; tubo nectarifero calycem excedente, pedicellis parum brevior; petalis aequalibus calycem reflexum superantibus; staminibus fertilibus 6. Petala pallide rosea. C. b. spei, Drege n. 7470. A G. sidaefolio Willd. differt caule folioso, petalis brevioribus, pedicellis et tubo nectarifero multo brevioribus et caet.

Pelargonium hypoleucum Turcz. (Cortusina). Caule ramisque patentibus teretibus tenuiter pubescentibus; foliis cordato-reniformibus plus minus trilobatis, lobis inaequa-

liter crenatis, crenis mucronulatis, supra glabris subtus albo-tomentosis; pedunculis 5—6 floris; tubo nectarifero calycem subaequante, pedicellis parum brevioribus; petalis aequalibus cuneatis, nonnullis sanguineo-lineatis, calycem tomentosum excedentibus; staminibus fertilibus 5. C. b. Spei, Zeyh. coll. n. 2063.

Pelargonium setulosum Turcz. (Glaucescens). Caulibus e radice pluribus tenuibus glabris; foliis longiuscule petiolatis triangulari-ovatis, basi truncatis vel subcordatis, integerrimis vel breviter subtrilobis, inaequaliter acuteque dentatis, utrinque setulis brevissimis scabris; stipulis setaceis elongatis; pedunculis bifloris cum pedicellis calicibusque saepe puberulis; tubo nectarifero calycem excedente; petalis duobus superioribus longioribus obovatis, ungue discolore. C. b. spei, Zeyh. coll. n. 2084. Secundum Drege Vergl. est *Eumorphia elegans* E. et Z. seu *Pelargonium elegans* Willd., sed ad definitione Candolleana hujus stirpis in pluribus recedit. Petala alba paucobore suffusa, ungue superiorum atropurpureo.

Pelargonium corymbosum Turcz. (Tomentosa). Pilis mollibus patentibus dense vestitum; foliis longe petiolatis cordatis 3—5lobis crenatis, crenis acutiusculis, utrinque subtus densius cinereo-tomentosis; stipulis ovatis acuminate patentibus, inferioribus deflexis; pedunculis terminalibus longis nudis apice corymbiferis, 2—4fidis compositis pluriumbellatis, umbellis sub 5 floris, simplicibusque paucifloris; tubo nectarifero calyce triplo brevioribus; petalis calycem parum excedentibus, superioribus latioribus lineatis; staminibus fertilibus 6—7. C. b. spei, Zeyher n. 2095. Affinis *P. tomentosum* Jacq. petalis tuboque nectarifero brevioribus diversum.

Pelargonium Dregeanum Turcz. (Papilionacea). Patentim villosum; foliis cordatis acutis, inaequaliter biserratis, superne sparsim pilosis, subtus molliter villosis, cinereo-canescens; stipulis e basi ovata cuspidatis integris; pedunculis 4—5 floris ad apicem caulis congestis; bracteis oblongo-lanceolatis integerrimis coloratis, pedicellos superantibus; petalis calyce subduplo longioribus, superioribus majoribus obovatis striatis, inferioribus linearibus. Drege n. 7450 a.

Tropaeolum longifolium Turcz. Glabrum, scandens; foliis peltatis ovato-vel oblongo-lanceolatis obtuse acuminate, basi rotundatis integerrimis, 6 nerviis. petiolis saepe cirrhiformibus insidentibus; pedunculis; capillaribus unifloris; calycibus longe calcaratis 5fidis, petala apice laciniata parum superantibus. Folia 5—7 pollicaria, 12—20 lin. lata, parte suprapetiolariter infrapetiolarem superante. Calycis lacinae ellipticae rubrae calcare 5plo breviores. Petala libera cuneata atropurpurea, apice irregulariter incisa, laciniis in setam desinentibus. Nova Grenada, prov. Mariquitensis, in lateribus Tolimae, alt. 700 hexap. Linden n. 931.

Tropaeolum parviflorum Turcz. Glabrum, volubile; foliis peltatis basi cordatis, sinu obtuso, oblongis acuminatis, margine revolutis integerrimis aut infra medium utrinque denticulo parvo acutis, 5 nerviis, subtus pallidioribus, junioribus glaucescentibus; petiolis pedunculisque unifloris filiformibus volubilibus; calycis calcare limbum tantum duplo superante; petalis liberis obovatis apice laciniatis capillaribus, calyce parum brevioribus. Flores vix 6 lin. longi rubri, calcare interdum recurvo. Venezuela, in prov. Truxillensi, prope Agua de Obispo alt. 6000 ped. Linden n. 1431.

Tropaeolum pilosum Turcz. Caule petiolis pedunculisque volubilibus patentim-pilosis; foliis peltatis ovatis basi rotundatis, laeviter 5 lobis 7 nerviis glabris, subtus ferrugineo-punctatis, lobis obtusis, lateralibus muticis, terminali majore mucronulato; pedunculis unifloris; calycis glabri apice parcissime pilosi calcare limbum 4plo superante; petalis cuneatis, ungue nudo, apice laciniato-capillaceis, setis calycem subexcedentibus. Affinis *T. peltophoro* Bth. sed foliorum lobis lateralibus muticis, calyce apice vix puberulo et petalorum ungue nudo sed fimbriato a diagnosi recedit, iisdem fere notis a *T. Lobbiano* Hook. distinguitur. *T. Deckerianum* Karst. jam foliis triangularibus a nostro diversum. Calcar rubro-violaceum, limbus calycis virescens, petala atropurpurea vel forte atroviolacea. Flores plus quam sesquipollicares. In provincia Novo-Grenadensi Pamplona, prope la Baja, alt. 8000 ped. Funck et Schlim n. 1396. Huic affine sed minus pilosum, foliis minoribus epunctatis, junioribus pubescentibus diversum habeo e Venezuelae prov. Carabobo, prope coloniam Tovar, alt. 6000 ped. a cl. Funckio et Schlimio lectum n. 443. An varietas?

Tropaeolum trilobum Turcz. Glabrum volubile; foliis peltatis, basi rotundatis trilobis, lobis obtusis, apice crenula obtusa terminatis, 6 nerviis glabris, subtus pallidioribus; petiolis pedunculisque unifloris filiformibus cirrhosis; calycis glabri calcari limbum plus quam duplo superante; petalis obovatis apice laciniato-capillaceis, capillis antherisque exsertis. Lobum terminale foliorum reliquis majus, folia minora ut in affinibus, nempe 7 lin. longa. Flores paulo minores ut in praecedente, eodem modo colorati. Cum *Tr. piloso* Funck et Schlim n. 1394.

Tropaeolum Deckerianum Karst.? Folia late ovata subdeltoidea, basi truncata. Tolima, in Novae Grenadae prov. Mariquita. Linden n. 923.

Tropaeolum Funkii Turcz. Glabrum, volubile; foliis peltatis basi truncatis, obsolete multilobis 11 nerviis glabris, subtus pallidioribus, lobis latis laeviter crenatis, medio emarginatis mucronulatis; petiolis parum volubilibus; pedunculis unifloris petiolum superantibus, rectiusculis; calycis glabri calcare limbum plus quam duplo superante; petalis longe unguiculatis apice laciniato-capillaceis calycem subaequantibus. Folia fere semiorbicularia, latitudine longitudinem parum excedente, nempe diametro longitudinali $2\frac{1}{8}$, transversali 3 pollicari, petiolo 4—5 poll., pedunculo 7 poll. longo. Flores lutei et rubri indicatur in schedula, sed unicolores rubri videntur. T. Fintelmanni Wagen. e definitione affine sed huic folia duplo et plus quam duplo latiora, quam longa, petioli pedunculos bipollicares duplo excedunt. In Venezuelae prov. Cumanensi, prope Cumanacoa, alt. 2000 ped. Funck n. 57.

Tropaeolum emarginatum Turcz. Glabrum, volubile; foliis peltatis ovatis 5 lobis 9 nerviis, lobis lateralibus parum, terminale majore manifestius emarginato mucronulato; petiolis pedunculisque unifloris, junioribus contortis, demum strictiusculis; calycis glabri calcare limbum plus quam duplo excedente; petalis unguiculatis oblongo-obovatis, apice laciniato-capillaceis, capillis calycem superantibus. Calyces unicolores rubri, petala luteola. Mexico, in statu Chiapas, prope San-Bartolo, alt. 6000 ped. Linden n. 848.

Propaeolum Bogotense Turcz. Volubile pilis patentibus mollibus vestitum; foliis breviter 3—5 lobis, basi rotun-

dati 6 nerviis, utrinque pilis adpressis tectis; petiolis folia subaequantibus plus minusve contortis; pedunculis filiformibus longissimis contortis unifloris; calycis pubescentis calcare limbum duplo vel plus excedente; petalis cuneato-obovatis apice laciniatocapillaceis, capillis non exsertis. In Novae Grenadae prov. Bogotensi prope Fusagasuga, alt. 1200 hexap. Linden n. 853.

Tropaeolum floribundum Turcz. Glabrum subvolubile decumbens, plus quam ad $\frac{2}{3}$ part. caulis dense foliosum, superius dense floriferum; pedunculis axillaribus contortis unifloris petiolum excedentibus; foliis peltatisectis, segmentis 7—8 oblongo-lanceolatis, utrinque attenuatis subfalcatis; petalis apice integerrimis calycem excedentibus, breviter emarginatis, superioribus breviter inferioribus longe stipitatis; calycis glabri calcari limbum subaequante. Calyces et petala lutei, magnitudine illorum T. Bridgesii, a quo distinguitur forma foliorum, floribus approximatis atque petalis calycem excedentibus, sed illo brevioribus. Extat in coll. Bridgesiana in prov. Chilensi Colchagua lectum absque numero.

Oxalis Cumingiana Turcz. (Biophytum). Foliis verticillatis pari-pinnatis multijugis, rhachi pubescente, foliis parallelogramis basi aut apice latioribus inaequilateris, obtusis mucronulatis glabris; pedunculis foliis brevioribus 5—7 floris; floribus pedicellatis bracteatis, bracteis longitudine pedicellorum; stylis stamina superantibus. Statura major et folia magis numerosa, quam in O. sensitiva Linn., a qua praeterea distinguitur foliolis glabris, stylis stamina utriusque ordinis superantibus, in O. sensitiva, fide speciminum Nilagiricorum styli staminibus majoribus sunt breviores. In prov. Calanang insulae Philippinae Lagona, Cuming n. 494.

Oxalis e Guayaquil, Sameson coll. n. 557. Species anomala e specimine unico mihi nota, caule e radice solitario pubescente, foliis alternis, inferioribus paripinnatis bijugis, superioribus bijugis, interdum trifoliolatis, foliolis brevissime petiolulatis ovatis obtusis parce pilosis ciliatis; pedunculis in axillis superioribus nascentibus, folia superantibus, apice biumbellatis; stylis intermediis. Caulibus e radice solitariis et propter folia alterna ad Biophyta referri nequit, foliis pinnatis a reliquis sectionibus hujus generis abhorret. Ergo typus proprii sectionis, heteroxys nuncupandae, propter folia superiora ab inferioribus diversa.

Oxalis suffruticosa Salzm. (Thamnoxy) in sabulosis umbrosis Bahiae. Caule suffruticoso pubescente simplici; foliis trifoliolatis, foliolis ovato-rhomboides acuminatis utrinque sparse et adpresse pilosis, supra punctulatis subtus pallidioribus, lateralibus breviter petiolulatis basi rotundatis obliquis inaequilateris, terminali longius petiolulato, basi parum attenuato aequali illis paulo longiore; pedunculis axillaribus solitariis unifloris bifidis sub 4 floris foliis paulo brevioribus; petalis sepala pubescentia acuminata duplo excedentibus; stylis e calyce exsertis hortellis staminibus longioribus. Petala in sicco videntur lutea, stipulae petialis adnatae, pedunculi graciles.

Oxalis e serra Jacobina Bahiae, Blanch. n. 2664 (Thamnoxy). Ovarii loculis 5 ovulatis ab omnibus videtur distincta, foliola pubescentia, lateralia laeviter emarginata. Specimen unicum et mutilatum.

Oxalis pilosissima Turcz. (Thamnoxy). Caule humili ramoso, ramis, petiolis, pedunculis foliisque pilis densis patentibus vestitis; foliis trifoliolatis, foliolis ovatis ovato-
Nº 2. 1858.

to-oblongis ellipticisve obtusis vel subemarginatis, lateralibus obliquis, terminali aequilatero plus quam duplo majore; pedunculis 1—3 floris longitudine foliorum; petalis sepala acuminata pilosa duplo superantibus; stylis dense pubescentibus stamina duplo excedentibus. Planta humilis, vix 4 pollicaris, stipulae nullae, axilli foliorum barbatae, petala lutea. Ovarii loculi 3 ovulati. Bahia, Blanchet n. 3571.

Oxalis tephrodes Turcz (Thamnoxys). Humilis, caule a basi ramoso, ramisque divergentibus glabris, petiolis pedunculisque parce pilosis; foliis trifoliolatis, superioribus per intervalla approximatis vel subverticillatis, foliolis utrinque, subtus magis rugulosis cinereis, lateralibus ovatis obtusis vel emarginatis, terminali longius petiolulato oblongo obtusiusculo lateralibus longiore; pedunculis folium excedentibus 2—4 floris; petalis sepala oblongo-lanceolata acuta glabra sesquies superantibus; stylis staminibus brevioribus. Rami subquadrupollicares, stipulae nullae, foliola lineolis elevatis rugulosa, sepala margine nigricante cincta, petala lutea, ovarii loculi 3 ovulati, ovula oblonga. Mexico, Oaxaca alt. 3000 ped. Galeotti n. 3991. Annua in schedula dicitur.

Oxalis psilotricha Turcz. (Thamnoxys). Caule ramoso humili, ramis petiolis pedunculisque pilis patentibus mollibus longiusculis vestitis; foliis 3 foliolatis, foliolis lateralibus ovatis obtusis vel emarginatis, terminali majore oblongo longius petiolulato, utrinque pilis mollibus tectis. inter pilos rugulosis, superioribus verticillatis; pedunculis solitariis 2—4 floris folia superantibus; petalis sepala acuminata pilosa sesquies excedentibus; stylis staminibus brevioribus. An praecedentis varietas pilosa, nam praeter vestitum nonnisi ramis patentibus nec divari-

catis, nullo alio signo distinguitur. Mexico, in statu Zamapan, alt. 2000 ped. Linden n. 809.

Oxalis acuminata Turcz. (Thamnoxys). Caule frutescente glabro ramoso, cum ramis superne scabriusculo; foliis trifoliolatis foliolis subsessilibus ovato-rhombeis longe acuminatis, basi attenuatis, supra scabris, subtus pallidis adpresse pubescentibus, terminali longiore; pedunculis axillaribus subtrifloris folium superantibus; corolla calyce pubescente obtuso plus quam duplo longiore; stylis scabris stamina excedentibus. Quam maxime affinis e descriptione *O. rhomboideae* Jacq., sed styli in hac intermedii inter duos ordines staminum. Stipulae in *O. acuminata* et sequente specie petiolo adnatae, petioli basis dilatata. Petala lutea in sylvis Mexici, prov. Vera Cruz, alt. 3000 ped. Galeotti n. 3990.

Oxalis Lindenii Turcz. (Thamnoxys). Caule frutescente glabro ramoso, cum ramis superne vix scabriusculo; foliis trifoliolatis, foliolis subsessilibus ovato-rhombeis acuminatis, basi attenuatis, utrinque adpresse pubescentibus, subtus pallidis, terminali majore; pedunculis axillaribus 1—3 floris folio brevioribus; corolla calyce pubescente obtuso plus quam duplo longiore; filamentis scabris stylis breves excedentibus. Petala ut in praecedente, quacum et habitu multum convenit et nonnisi proportionem pedunculorum ad folia et filamentorum ad stylis distincta. Folia acuta vel brevius acuminata magis pubescentia, umbellae triflorae flores laterales saepe abortiunt. A definitione *O. rhomboideae* Jacq. etiam proportionem genitalium recedit. In statu Vera Cruz Mexici, alt. 2000 ped., loco dicto Barrameo de Francisco Linden n. 810.

Oxalis pubescens H. B. K.? Specimen nostrum ex andibus Quitensibus, Jameson. n. 692, medium est inter *O.*

pubescentem et peduncularem H. B. K. pedunculis folia superantibus 6—8 pollicaribus cum hac, foliis utrinque pilosis, racemis bifidis et stylis longitudine staminum superiorum cum illa conveniens. Forte propria species.

Oxalis rufescens Turcz. (Ceratoxys). Caule prostrato humili ramoso vel ramosissimo, ramis glabriusculis superne foliosis cum petiolis pedunculisque ferrugineis; foliis aggregatis trifoliolatis; foliolis sessilibus obcordatis, utrinque punctis rufescentibus plus minus obtectis, margine pilosis; stipulis petiolo adnatis; pedunculis solitariis unifloris medio bibracteolatis foliorum longitudine; petalis sepala obtusa, saepe rufo-marginata, plus quam duplo superantibus; stylis intermediis. Planta circiter 3 pollicaris, ramis basi nudis, interdum ramulo auctis, reliquiis petiolorum tectis. Petala lutea. In alpe Antisana legit cl. Jameson.

Oxalis refracta St. Hil.? E Venezuelae prov. Merida, Linden n. 600. Ovarii et capsulae loculis bi-nec tetraspermis, filamentisque omnibus glabriusculis a descriptione recedit. Praeter caulis foliaque carnosa in schedula indicantur. Propria videtur species.

Oxalidem micrantham Bert. et *O. Laxam* Hook. et Arn. in unicam speciem conjunxi, quia in speciminibus meis signa distinctiva invenire non potui.

Oxalis arborescens hort. Sub hoc nomine colitur in horto Botanico Charkowiensi species caule fruticoso carnoso, cicatricibus a basi foliorum persistente formatis tecto, foliis trifoliolatis puberulis; foliolis petiolulatis obcordatis; pedunculis axillaribus basi articulatis 2—6 floris folium excedentibus, floribus flavis.

Oxalis densifolia Turcz. (Rhodoxys). Caule simplici glaberrimo, fere a collo foliis densissime oblecto; foliis trifoliolatis subsessilibus, petiolis nempe ad basin cum stipulis junctam reductis; foliolis cuneatis, oblongo-obovatis, complicatis, nigro-lineatis, emarginatis; pedunculis folia multoties superantibus; bracteis a flore distantibus; petalis bicoloribus sepala acuminata, longitudinaliter multistriata glabra triplo superantibus; filamentis omnibus edentatis; stylis intermediis. Caulis crassiusculus 4—5 pollicaris, inferne brevi spatio minus dense foliosus, tamen apicibus foliolorum folii inferioris basin superioris tegentibus. Petala majuscula inferne alba, vel forsan luteola, superne violacea. Species glabritie et foliis densis ab affinibus distinctissima. C. h. spei. Drege coll. n. 7426.

Oxalis kirta Linn. Cum hac specie suadentibus Ecklonio et Zeyhero *O. rubellam* Jacq. et *O. multifloram* Jacq. conjunxi, nam in speciminibus similibus atque in eodem loco lectis proportio genitalium diversa reperitur, nec congruunt definitiones cum individuis cultis, hisce nominibus designatis. Specimina culta *O. rubellae* et multiflorae attamen foliolis glabrioribus et punctis rubiginosis manifestis exasperatis, sed haec forsan a cultura oritur.

Oxalis virginia Jacq. in Drege coll. Cap. dubia mihi videtur, nam foliola omnia conformia et aequalia.

Oxalis minutifolia Turcz. (Parthenoxys). Caule erecto vel adscendente ramoso cum ramis petiolis foliis pedunculis calycibusque pube brevi cinerea dense oblectis, ramis inferioribus per intervalla distincta folia conferta gerentibus, superioribus apice tantum foliiferis; foliis petiolatis trifolialatis, foliolis sessilibus minutis (semilinealibus) obcordatis complicatis; pedunculis folia duplo superantibus; petalis sepala lineari-oblonga obtusiuscula

fere triplo superantibus; stylis longissimis. Species habitu singulari et foliis minutissimis gaudens, vix semipedalis. Petala in sicco alba apparent C. b. spei, Zeyh. n. 204.

Oxalis gymnoelada Turcz. (Parthenoxys). Ramosa, tota brevi cinerea tecta, ramis nudis aut rarius basi monophyllis, apice verticillo foliorum pedunculorumque instructis; foliis petiolatis trifoliolatis, foliolis sessilibus cuneiformi-obovatis complicatis apice subrecurvis, supra glabris, subtus piloso-cinereis; pedunculis folia adaequantibus unifloris; petalis sepala oblonga obtusiuscula pubescentia quadruplo superantibus; stylis brevissimis inferne puberulis; filamentis glabriusculis. Tuberculus subglobosus tunicatus, caules ad medium fere indivisi, squamigeri. Flores rubri. Species habitu proprio gaudens. C. b. spei, Zeyh. n. 207.

Oxalis esculenta hort Sub hoc nomine accepi e horto Berolinensi specimina plurima *O. tetraphyllae* similia sed foliolis apice truncatis et stylis intermediis divergentia. Simillima in horto Charkowiensi sub eodem nomine colitur, stylos tamen brevissimos habens. An utraque pro varietale *O. tetraphyllae* sumendae.

Oxalis e Mexico, Iurgensen n. 704. Ab *O. tetraphylla*, cui similis foliis longioribus truncatis recedit. Fragmenta tantum habeo.

Oxalis Abyssinica Turcz. (Aegopodoxys). Tuberosa, acaulis, scapis 5—6 floris, petiolisque molliter pubescentibus; foliis trifoliolatis, foliolis sessilibus latis obcordatis glabris, ad costam interdum puberulis margineque parcissime ciliolatis; petalis sepala pilosa obtusiuscula, apice glandulifera, plus quam duplo superantibus; stylis intermediis filamentisque pubescentibus. Scapi folia duplo,

interdum pluries superant, foliorum pagina superior saepe violascens, inferior ferruginosa. Petala violacea ad fundum pallidiora puberula. Ab *O. anthelmintica* A. Rich. cui foliola obovalia tribuuntur, jam forma foliolorum satis diversa. Schimper, plantae Abyssinicae Adoënses, in lapidosis regionis mediae et inferioris australis montis Scholoda, n. 188.

Oxalis Galeottii Turcz. (*Aegopodoxys*). Tnberosa, a caulis, scapis glabris aut inferne parce puberulis folia duplo superantibus 3—7 floris; foliis trifoliolatis, foliolis latis obcordatis, basi subcuneatis aut rotundatis sessilibus, utrinque, subtus densius adpresse pilosis. petalis sepala obtusa apice glandulifera plus quam duplo superantibus; stylis brevissimis. Affinis *O. violaceae* Linn. at multo major sesquipedalis folia pilosa, floresque etiam majores. Petala violacea, fundo albo. Mexico, Oaxaca alt. 7000 ped. Galeotti n. 3995.

Oxalis stenoptera Turcz. (*Pteropoda*). Acaulis, petiolis alatis, ad apicem in marginem elevatum abeuntibus, scapisque unifloris pube molli conferta fuscescente vestitis; foliis trifoliolatis, foliolis sessilibus cuneatis laeviter emarginatis, supra glabris, subtus praesertim ad costam pubescentibus; petalis sepala pilosa acuta multoties superantibus; stylus staminibus exterioribus parum brevioribus. C. b. spei, Zeyh. n. 239.

Oxalis arthropphylla Turcz. (*Acetosella*). Acaulis, tuberculo oblongo tunicis longe acuminatis tecto, scapis brevissimis petiolo pluries brevioribus cum petiolis dense pilosis; foliis trifoliolatis, foliolis obtusis ad apicem petioli incrassati sessilibus articulatis, lateralibus oblique oblongis, medio oblongo-lanceolato longiore, supra parce, subtus densius pilosis cinerascens; petalis sepala acumi-

nata hirsuta duplo excedentibus; genitalibus glabris; stylis intermediis. C. b. spei, Zeyh. n. 225 (cum alia specie mixta).

Oxalis psilopoda Turcz. (Acetosella). Stipitata, basi squamigera sub origine foliorum involucrata; pedunculis petiolos multoties superantibus molliter pilosis; foliis trifoliolatis, foliolis sessilibus obcordatis, supra glabris, subtus dense pilosis incanis; petalis sepala acuta plus quam duplo superantibus; stylis intermediis filamentisque glabris. Flores albi, fundo in sicco virescente. Capsulae lineari-oblongae calyce duplo longiores, loculis polyspermis. Affinis *O. gracilicauli* E. et Z., ad quam plantam Zeyherianam n. 2106 retuli, sed flores duplo minores, pedunculi graciles folia multoties, nec parum vel subduplo excedentes. C. b. spei, Zeyh. n. 2119.

Oxalis multifolia Turcz. (Acetosella). Radice ramoso-fibrosa, acaulis, foliis radicalibus numerosis in orbem expansis; petiolis pedunculisque subaequalibus molliter patentim villosis; foliis trifoliolatis, foliolis sessilibus obcordatis utrinque sparse pilosis, longe et dense ciliatis; petalis sepala lanceolata ciliata obtusiuscula multoties superantibus; stylis intermediis filamentisque glabris. Petala ejusdem coloris at minora ut in praecedente. C. b. spei, Zeyh. n. 2110.

Oxalis elegantula Turcz. (Acetosella) substipitata, basi squamigera, apice folia conferta pedunculosque unifloros gerens; petiolis complanatis pedunculisque molliter et dense villosis, his folio duplo superantibus, supra medium bibracteolatis; foliis trifoliolatis, foliolis obcordatis, supra parce, subtus densius villosis; petalis sepala villosula acuminata triplo excedentibus; stylis brevissimis filamen-

tisque glabris. Petala pulchre violacea fundo albo aut forte lutescente. C. b. spei, Zeyh. n. 2126.

Oxalis foveolata Turcz. (Acetosella). Acaulis, aut interdum stipitata, hirsuta, ad exortum foliorum involucrata, petiolis pedunculos vel scapos superantibus; foliis trifoliolatis, foliolis inaequalibus, lateralibus minoribus obliquis inaequilateris, terminali rhombeo-obovato retuso vel breviter emarginato, utrinque subtiliter rugosis foveolatis, foveolis lana densa occultatis, aut praesertim in pagina superiore manifestis; petalis sepala pilosa dense ciliata obtusiuscula multoties excedentibus; stylis longissimis filamentisque glabris. C. b. spei, Zeyh. n. 238 et 240. Proxima videtur *O. obtusae* Jacq. (ad quam retulit Prest *O. cuneatam* E. et Z. et cujus specimina mutilata posideo) sed huic foliola profunde obcordata, corolla brevior et styli intermedii. Nostrae etiam affinis species sub n. 240 cum illa mixta, sed distincta foliis supra glabris et forsan florum colore luteo, qui in *O. foveolata* sordide rubellus videtur.

Oxalis favosa Turcz. (Acetosella). Stipitata ad basin foliorum et pedunculorum involucrata, pedunculis petiolos duplo vel pluries superantibus cum illis puberulis; foliis trifoliolatis, foliolis sessilibus laeviter obcordatis, glabris vel parce puberulis utrinque rugulosis foveolatis; petalis sepala pubescentia obtusa triplo vel quadruplo superantibus; stylis puberulis longissimis, filamentis glabris. Flores pallide violacei vel albi. Affinis hic *O. foveolatae*, sed pube multo rariore vestita, pedunculisque petiolos excedentibus diversa, illic *O. divergenti* E. et Z. sed calycibus obtusis, foliis foveolatis et floribus minoribus recedit. C. b. spei, Zeyh. n. 336.

Oxalis rugulosa Turcz. (Acetosella). Radice filiformi, forsan e tuberculo nascente; caule inferne paucas squamas, apice fasciculum foliorum floresque 1—2 squamis involucratos gerente, foliis trifoliolatis, foliolis laeviter obcordatis sessilibus, supra glabris laevibus, subtus rugulosis ad costam puberulis, marginatis, interdum ciliolatis; pedunculis petiolos excedentibus, infra medium bibracteolatis; petalis sepala obtusissima latiuscula marginata triplo superantibus; stylis intermediis. Flores in speciminibus meis pauci, purpurascens videntur, ovarium globosum. C. b. spei, Zeyh. coll. n. 2428.

Oxalis nidulans E. et Z. Zeyh. coll. n. 237. Descriptio satis quadrat, praeter tuberculum in speciminibus meis deficientem.

Oxalis bifolia E. et Z. Zeyh. coll. n. 224, quantunde brevi diagnosi judicare licet. Pedunculus ebracteatus.

Oxalis aretioides Turcz. (Acetosella). Radice tenui e tuberculo nascente; caule rigide piloso, inferne paucas squamas, apice fasciculum foliorum floresque 1—2 gerente; foliis trifoliolatis, foliolis lineari-cuneatis emarginatis, supra glabris, subtus pilis rigidis dense obtectis; pedunculis infra calycem bibracteolatis, bracteola inferiore a calyce parum remota; petalis sepala pilosa obtusa triplo vel quadruplo superantibus; stylis brevissimis. Flores rubelli.

α. Pedunculis petiolum superantibus. C. b. spei, Zeyh. n. 226.

β. Pedunculis petiolo brevioribus. Zeyh. n. 229.

Oxalis leucotricha Turcz. (Adenoxys). Breviter stipitata, pedunculis, petiolis, foliisque utrinque pilis mollibus albis densissime vestitis; pedunculis foliis brevioribus,

non procul a calyce bracteolatis; foliis trifoliolatis, foliolis sessilibus lineari-lingulatis obtusis integris uniglandulosis; petalis sepala glabra longe ciliata, apice plurimaculata, multoties superantibus; stylis longissimis filamentisque glabris. Color petalorum videtur albus aut lutescens. Habitus potius acetosellarum linearifoliatarum, ad quas forte referenda neglecto callo nigricante, interdum obsoleto, folia terminante. Ob rationem analogam *O. pentaphylla* Sims, fide speciminis Dregeani, sola suae sectionis foliolis quinatis gaudens inter *Palanoxydes* ponenda.

Oxalis stenodactyla Turcz. (*Palanoxy*s). *O. heterophylla* E. et Z. non DC. Pedunculi folia superant, sepala acuminata ciliata, petalis plus quam triplo breviora. Flores albi, fundo luteo. Styli longissimi. C. b. spei.

Oxalis ex Antisana, Jameson coll. Species habitu fere *Potentillae* subacaulis holosericea, foliolis numerosis. In flore unico sepala holosericea, corollam sordidam et stylos intermedios observavi.

Zygophyllum terminale Turcz. (*Fabago*). Caule lignoso subangulato; foliis unijugis, foliolis sessilibus dimidiato-obovatis obtusis glabris carnosiss, glandula crassa interjuga; pedunculis ramulos terminantibus 3—4; petalis oblongis calycem acutiusculum glabrum plus quam duplo superantibus; filamentis cum squama apice denticulata connatis. E habitu ad multas species Capenses bifoliolatas, v. gr. foetidum, leptopetalum et caet. accedit, sed inflorescentia terminali et squamis stamineis non dense fimbriatis, neque longe ciliatis diversum. Petala flava. Ovarium pentaplorum. Fructus maturi desiderantur. Nova Hollandia, Drum coll. V n. 90.

Larrea Mexicana Moric. Specimen Chilense *Bridgesium* a speciminibus Mexicanis recedit foliis subtus pilis

rerioribus obsitis subglabratiss et magis viscosis , ramis etiam glabrioribus profunde sulcatis. An tamen varietas?

Guajacum officinale Linn. An hujus varietatem sistunt specimina Venezuelensia, Moritzianum n 383 et Funckianum n. 13, floribus in axillis numerosis , plerumque 8, rarius 4 vel 12 gaudentia? Habeo etiam frustulum hortenseum magis adhuc multiflorum. In omnibus folia trijuga, ovarium et capsula biloculares

Guajacum arboreum H. B. K. Species intermedia inter Guayaca et Zygophylla, staminibus hujus, fructu et habitus illius praedita , sectionem propriam meo sensu format , in postea forte uti genus proprium separandum, cui nomen Zygophyllandrae imponendum.

Ruta collina Jan. Specimen herbarii Schultesiani , in monte Nanos crescens. Distinguitur a Ruta divaricata Ten. laciniis foliorum superiorum linearibus, duplo angustioribus quam lacinae foliorum inferiorum. Ovaria obtusissima glabra, bractee lineari-setaceae.

Euchaetis laevigata Turcz. (Acmadenia laevigata Drege coll. Cap. non Bartt et Wendl.). Glabra , ramosissima; foliis oppositis decussatis ovatis carinato-complicatis, obtusis vel vix acutiusculis , margine punctulatis et basi breviter ciliolatis; floribus in axillis superioribus congestis; sepalis ciliatis carinatis , exterioribus spathulatis, interioribus obovatis; quam petala longe iugiculata cuneato-oblonga ciliata, in apice unguis transverse barbata. duplo brevioribus. Stamina fertilia inclusa, antheris glandula minuta terminatis , sterilia nulla. Stylus stigmaque capitatum inclusi. An haec est E. glomerata Bartt. et Wendl.? in repertorio Walpersiano omissa.

Acmadenia strabilina E. Mey. Videtur proxima *Acm. laevigatae*, sed folia non ovata sed potius rhombeo elliptica.

Acmadenia cassioides Turcz. Glabra, ramosissima, ramis ramulisque virgatis flexuosis, folia in flexura gerentibus; foliis alternis, areola oblonga supra basin sita, ramulo adnatis, basi apiceque liberis oblongis obtusis carinatis, adpressis; floribus ad apices ramulorum in capitulum pauciflorum congestis; petalis (albidis) calyce angustioribus et vix longioribus, intus lineis tribus longitudinalibus barbatis, ungue nudiuscula brevi. Ungue nuda a definitione generica recedit, foliis alternis cum *Acm. rosmarinifolia* Bartt. et Wendl. convenit. Stamina inclusa, filamenta sterilia fertilium longitudine eglandulosa. C. b. spei, Zeyh. n. 291.

Barosma mucronata Msn. Specimen a Zeyhero missum sub nomine *Diosm. dubiae* Spr., alterum ex ejus coll. n. 2161 indeterminatum, recedit foliis paulo majoribus subtus binerviis. An varietas?

Agathosina Wendlandiana G. Don? Specimina sub hoc nomine culta recedunt a definitione (Walp. rep. 1, p. 512) praeter pubescentiam densam, umbellis multi-nec 2—3 floris. Propter descriptiones incompletas aut omnino nullas plurimarum specierum hujus generis, in opere citato plures species herbarii nostri indeterminatae remanent. In collectionibus Dregeanae, Ecklonianae et Zeyherianae, saepe sub eodem nomine diversae species servatae sunt.

Macrostylis Sieberi Turcz. Ramis glabris, superne parum pubescentibus; foliis sparsis brevissime petiolatis ovato-oblongis acutiusculis glabris, supra planis, subtus nervo medio marginibusque elevatis; floribus ad apices ramulorum capitatis; calycis 5partiti 5angulati laciniis carinatis ciliatis; petalis calycem duplo superantibus in-

tus barbatis; stylis filiformibus, glabris, filamenta paulo, petala duplo longioribus. Inter plantas Sieberianas absque schedula. E habitu affinis M. decipienti E. Mey. sed huic folia carinata sessilia, insertione interna, id est ope areolae, supra basin positae ramo affixis, genitalia minus exserta et caet.

Esenbeckia leucophylla Turcz. Foliis alternis breviter petiolatis trifoliolatis, foliolis sessilibus oblongo-obovatis obtusis emarginatis integerrimis reticulatis pellucido-punctatis, lateralibus inaequilateris, supra ad costam venasque adpresse puberulis, subtus dense albo-sericeis; paniculis axillaribus terminalique in communem approximatis; calycibus petalisque obtusis pubescentibus; ovario glanduloso-tuberculato. Rami molliter pubescentes. Foliorum pagina superior pallide viridis. Affinis Es. molli Miqu., foliis longioribus subtus dense sericeis, panícula foliis longiore, floribusque duplo majoribus distincta. Bahia, la serra Jacobina, Blanchet n. 2779.

Zanthoxylum Borbonicum Turcz. (Pohlana. Inerme, glabrum foliis simplicibus oppositis petiolatis, lanceolatis, utrinque attenuatis crenatis epunctatis; corymbis axillaribus, foliis plus quam duplo longioribus, petiolos excedentibus; floribus pentandris monogynis; stylis conicis indivisis. In insula Borbonia Boivin pl. exsicc. n. 1412 sub *Z. aubertia* DC., quod floribus tetrameris et foliis integerrimis, fide definitionis, a nostro diversum esse videtur.

Zanthoxylum Serra Turcz. (*Ochroxylum*). Ramis triquetris albo-punctatis, punctis in parte superiore squamato-setigeris; foliis alternis breviter petiolatis simplicibus subcuneato-oblongis acuminatis multiveniis argute serratis supra glabris, subtus subfurfuraceis ad costam

venasque setigeris; racemis axillaribus folio multo brevioribus subtrichotomis glabriusculis; petalis 5sepalis angustioribus et vix longioribus albo-marginatis; ovariis 3 basi coadunatis biovulatis glabris; stylis approximatis stigmatibusque capitellatis liberis. Folia 9poll. longa, 2poll. lata a basi angustiore sensim dilatata, ultra $\frac{2}{3}$ longitudinis ad apicem attenuata, serraturae aequidistantes sursum subuncinatae. Flores parvi fuscescentes hermaphroditi, petala albo-marginata. Ovula in quovis ovario gemina. Nepal, Wall. n. 1469. 1.

Zanthoxylum furfuraceum Tulasne? Folia nitida 5—7 poll. longa petiolo 7lineali anguste marginato insidentia et cum illo articulata, glandulis ad basin limbi saepe solitariis munita. Panicula terminalis foliis brevior puberula, ramis inferioribus longiusculis, superioribus abbreviatis paucifloris. Bracteolae parvae ad basin pedunculorum et pedicellorum. Flores hermaphroditi in genere majusculi, petalis et segmentis calycinis rotundatis illis duplo longioribus. Stamina 5marginis disci incrassati inserta filamentis filiformibus, antherisque stylis incumbentibus. Ovaria 5, a basi plus quam ad medium connata. Stylus brevis ex axi ovariorum oriens, illaque adaequans. Stigma capitatum. In provincia Cumanensi Venezuelae, prope Quebrada del Impossible, alt. 1000 ped. Funck coll. n. 26. Huic proxima species aut varietas, etiam cum definitione *Z. furfuracei* congruens sub n. 675 in coll. Funckii et Schlimii distributa, e prov. Berquasimoto, prope San Felipe, alt. 2000 ped. lecta. Haec distinguitur foliis plus quam duplo brevioribus, ramis paniculae longioribus, floribusque quidquid minoribus.

Zanthoxylum serrulatum Bl.? Göring coll. 11. n. 336 e Java vel Sumatra. In omnibus convenit cum definitio-

ne , praeter flores , qui in specimine nostro hermaphroditi videntur. Panicula terminalis trichotoma, ramis divaricatissimis deflexis.

Zanthoxylum peltophorum Turcz. (Pterota). Foliis alternis 4—7 jugis cum impari, petiolo subtrigono, saepe aculeis sparsis armato, foliolis alternis oblongo-ellipticis utrinque attenuatis crenatis glabris pellucide-punctatis; panicula terminali et supra-axillaribus folio brevioribus, substellato-pubescentibus; petalis calycem 4partitum pluries superantibus; ovariis 2glabris, stylis brevissimis, stigmatibus 2 in unicum peltatum concretis. Flores foemineos tantum vidi. Stamina prorsus nulla. Ovaria nigricantia, basi subconcreta unilocularia; biovulata, ovulis collateralibus. Folia parva sesquipollicaria vel parum longiora, lateralia inaequilatera, latere inferiore attenuata, sessilia. Bahia, Igreja Velha, Blanchet n. 3247. *Z. Landsdorffii*? in repertorio Walpersiano omissum.

Zanthoxylum ad fl. Amazonium, prope ostium fl. Solimves Spruce n. 1582. *Z. Landsdorffii* affine; accedit ad *Z. peltophorum*, sed flores pentameri. Stigma omnino sessile a carpellis coadunatis vix distinctum. Stamina in specimine foemineo nulla.

Zanthoxylum stelligerum Turcz. (Pohlana?) Ramis glabris inermibus superne cum petiolis et panicula pube stellata tectis; foliis alternis 3—4 jugis cum impari, foliolis oppositis brevissime petiolulatis, obtusis vel in acumen brevissimum productis, basi obtusis inaequilateris, obtuse crenatis, supra lucidis glabriusculis parcissime, subtus dense stellatis, punctis pellucidis paucis; petiolis plerumque inermibus aut hinc inde aculeolo solitario munitis; paniculae terminalis laxae ramis divaricatis, folia aequantibus; floribus pentameris, ovariis (in speciminibus meis

masculis) imperfectis geminis. Petala calycem subaequant. Stamina dencum exserta. La serra Acurua in prov. Bahiensi Brasiliae, Blanchet n. 2911.

Zanthoxylum polyacanthum Turcz. (Pohlana?). Ramis aculeatis, cum petiolis atque inflorescentia pube stellata tectis; foliis alternis 3—4jugis cum impari, foliolis oppositis brevissime petiolulatis oblongis acuminatis, basi obtusis inaequilateris obsolete crenulatis, supra lucidis glabriusculis vel parcissime, subtus dense stellatis, crebre pellucido-punctatis, petiolis polyacanthis; paniculae terminalis pyramidatae densiusculae ramis inferioribus divergentibus, folia aequantibus, superioribus brevioribus patentibus; floribus 5meris; ovariis (in speciminibus meis masculis) imperfectis geminis. Cum priore cui maxime affine sub n. 2911. 3., differt ramis densius stellatis aculeatis, foliolis longioribus omnibus acuminatis, petiolis dense aculeatis atque panicula majore pyramidata. Flores foeminei et fructus utriusque stirpis ignotae.

Toddalia angustifolia Miq. in plant. Canaranis Metzii n. 470. Distincta videtur a *T. angustifolia* Lam. jam ramis aculeatis glabris. Similis et forsan eadem prostat in coll. secunda Göringiana sub n. 348.

Toddalia effusa Turcz. Inermis, ramis puberulis, foliis trifoliolatis, foliolis ellipticis aut obovatis petiolulatis obtuse acuminatis basi attenuatis crenatis glabris pellucide punctatis; paniculis axillaribus et terminali folia excedentibus pyramidatis distanter ramosis, ramulis longiusculis apice umbellatis multifloris, floribus pentameris. Ovaria in speciminibus meis masculis imperfecta, conico-prismatica subpentagona, brevi gynophoro insidentia, individua foeminea et fructus desiderantur. A *T. lanceolata* Lam. et *paniculata* Lam. distincta ramis puberulis et floribus

N. 2. 1858.

pentameris. In provincia Calanang insulae Philippinae Lagonae, Cuming n. 438.

Toddalia? ambigua Turcz. Ramis glabris inermibus aut inferne aculeis plurimis reversis brevibus obsitis; foliis trifoliolatis, foliolis oblongis obovato-ellipticis obtuse acuminatis, basi attenuatis crenulatis glabris, pellucido-punctatis; racemis axillaribus et terminalibus, florentibus folia non excedentibus simplicibus; floribus tetrameris; ovario tri-fructu bi-interdum uniloculari, loculis monospermis, semine alterius loculi saepe imperfecto. Specimina duo foeminea unum florens, alterum fructiferum. In flores circa rhachin in verticillum multiflorum dispositi, superne solitarii, rudimenta staminum nulla, stigma sessile subpeltatum; in fructifero pedicelli solitarii aut dicarpi, fructus subglobosi reliquiis stigmatis coronati. An *Dipetali* Dalz. species sed petala (saltem in floribus foemineis) nulla, praeterea a specie descripta differt ramis saepius aculeatis foliisque crenulatis. In prov. Pangasanan insulae Luçon, Cuming n. 1010.

Simaba Blanchetii Turcz. (*Homalolepis Blanchetii* Turcz. in Bull. de la Soc. des Nat. de Moscou t. XXI.). Ovarium incaute 5loculare descripsi, sed revera ovaria 5 gynophoro inserta et lana tantummodo connexa neque vere concreta sunt, unde recte cl. Planchon meum genus ad speciem *Simabae* reduxit. A speciebus quarum flores mihi videre licuit, floribus satis magnis recedit, ad *S. ferrugineam* St.-Hil. accedere videtur, e hujus definitione, tamen folia nostra basi plus minus attenuata neque elliptica.

Harrisonia e Philippinis, Cuming n. 1742. Cum caractere generico congruit sed a *Har. Brownii* (sub n.

1780 et 1828 in eadem collectione exstante recedit caule, saltem in parte superiore, ramisque inermibus.

Brucea e Philippinis, Cuming n. 987. Br. Sumatranæ Roxb. valde affinis, sed minus pubescens et dentes foliorum remoti obtusi. Videtur media inter B. Sumatranam et glabratam Dne, forte utramque jungens.

Picramnia e coll. Sieberiana Martinicensi. Fragmenta e racemis et folio unico constantia, foliolis tantum quinis ab omnibus videtur diversa.

Picramnia oblongifolia Turcz. Ramis glabratis; foliis glabris lucidis, foliolis 6—7, alternis petiolulatis oblongo-lanceolatis obtuse acuminatis basi attenuatis, saepe subobliquis, petiolo tereti esulcato; racemo terminali ramoso, forsan nutante; floribus 5meris fasciculatis 2—3, interdum solitariis, fasciculis remotis; pedicellis calyceque pubescentibus. P. latifoliae Tulasue e descriptione videtur propinqua sed foliis angustioribus et racemis compositis recedit. Rami cortice albo-cinereo ramoso obducti. Folio-la subinaequilatera inferiora longius, superiora brevius acuminata. Racemi in specimine elongato forte violenter infracta nutantia apparent, ramis inferioribus longiusculis, superioribus brevioribus. Fasciculi florum in ramis racemi seu paniculae plerumque remoti, interdum in medio rami approximati. In prov. St.-Jago insulae Cubae, Linden, n. 1965.

Picramnia Cubensis Turcz. Ramis glabratis; foliis glabris lucidis, foliolis 7—9 alternis petiolulatis distantibus ovato-lanceolatis, obtuse acuminatis, basi parum attenuatis, petiolo tereti vel obscure pentagono esulcato; racemo terminali divaricatim ramoso foliis brevioribus, ramis longis subnutantibus; florum fasciculis saepe pedicellatis, gemi-

natim ternatimve approximatis in fasciculos communes inter se remotiusculos; pedicellis calyceque pubescentibus. Haec etiam a *P. latifolia* racemis compositis, a *P. Lindeniana* ramis racemorum omnibus aequalibus elongatis, fasciculis magis compositis, foliis latoribus et caet. In prov. Sant-Jago insulae Cubae, prope Nimanima, alt. 1500 ped., Linden. n. 2098.

Picramnia? filipetala Turcz. Ramis petiolis pedunculisque puberulis; foliis glabris, supra lucidis, foliolis circiter 20 petiolatis alternis oblongo-ellipticis obtusis mucronulatis, basi parum attenuatis, petiolis subtrigonis; racemis geminis longis simplicibus angustis spicaeformibus pendulis; florum pentamerorum fasciculis approximatis; petalis filiformibus calyce pubescente longioribus, staminibus brevioribus et angustioribus. Species certe distinctissima, si revera hujus generis, nam flores tantummodo masculos vidi. Habitu non aliena, at folia quam in generibus minora, nempe 7—9 lin. longa, $3\frac{1}{2}$ —4 lin. lata, flores masculi caeteris similes, sed petalis filiformibus viridibus discrepant. Mexico, Oaxaca, in costa oceani pacifici, alt. 2000 ped. Galeotti n. 7135.

Picramnia Bahiensis Turcz. Ramis glabratiss; foliis glabris lucidis, foliolis 5—7 petiolulatis alternis, aut paribus approximatis suboppositis, oblongo-lanceolatis, rarius ovato-oblongis, obtuse acuminatis, basi parum attenuatis, petioli tereti intus subcanaliculato paniculisque pubescentibus; paniculis axillaribus ramosissimis nutantibus; fasciculis florum trimerorum distinctis, pauci-vel multifloris. Flores 2—8, exteriores longius pedicellati, praecocius evoluti. Ramis inferioribus paniculae iterum ramosis a congeneribus jam distinguitur. Bahia, Blanchet n. 3266.

Eurycoma? e *Syngapore*. Th. Lobb n. 486. *E. longifoliae* Jacq. e descriptione valde affinis, at a caractere generico calyce profunde 5partito nec minuto cupuliformi 5dentato recedit. Nihilominus verosimiliter species indescripta hujus generis. Folium $2\frac{1}{2}$ pedale et paniculam florentem parum minorem tantum habeo.

Oligostemon, novum genus. Calyx 4—5partitus, aestivatione imbricativa. Petala 3 subvalvatim approximata, obtusa, basi saepe emarginata sessilia, extus ad basin squamula bicorni aucta, stamina 2petalis alterna, squamulae oblongae integrae adnata, sed e tertiis vacuae; (aut si mavis petala 5, quorum duo interiora angustiora et stamina 5: duo fertilia petalis angustioribus et tria sterilia diformia petalis latioribus opposita.). Filamenta filiformia, antherae loculi ad latera connectivi incrassati positi. Ovarium subtrilobum, basi attenuatum, triloculare, loculis uniovulatis. Stylus brevis, apice tridentatus. Fructus ignotus. Genus dubiae sedis, ab olacineis recedit staminibus petalis oppositis, ab calcem Simarubacearum, cum quibus pluribus notis convenit, posui. Racemus axillaris compositus, folium plus quam pedale, ad basim longe attenuatum et in petiolum breve inaequaliter decurrens, in costa et venis numerosis pubescens. Flores parvi rubri.

O. Schlimii Turcz. In sylvis provinciae Oceanae, Novae Grenadae, alt. 4—5000 ped. crescens Schlim n. 702.

Coriaria thymifolia Humb. sec. cl. Planchon - Heterocladus et postea Heterophylleia Caraca sana Turcz.

Lophopetalum floribundum Wall.? (*Solenospermum Javanicum* Zoll. coll. Jav. n. 3254.) a L. Wightiano differt floribus minoribus et crista petalorum non fimbriata.

Evonymus Timoriensis Zipp.? E Philippinis Cuming n. 1491 et 1552. Petalis fimbriatis cum solo E. Timo-

riensi convenit, sed folia forma varia, ovata vel oblonga basi semper attenuata, subtus glauco-pruinosa albicantia. In definitione hujus speciei (Linnaea 15, p. 186) nihil de hoc ultimo caractere dicitur ergo planta nostra dubia mihi remanet.

Cathastrum, novum genus. Calyx sub 5partitus, laciniis obtusissimis. Petala 5, laciniis calycinis alterna subquadrangula vel obovata exungiculata obtusa subthoro 5angulato inserta. Stamina 5, petalis breviora, angulis thori inserta, filamentis filiformibus, antheris cordato-subrotundis bilocularibus, longitudinaliter dehiscen-
tibus, connectivo dorsali latiusculo. Ovarium intra torum uniloculare 6ovulatum, striatum. Stigma sessile peltatum. Fructus ignotus. Genus Cathae et Celastro affine, ovario uniloculari multiovulato stigmatique distinctum, in ordine subanomalum, sed propter habitum simillimum haud separabile. Frutex seu arbor glaber, foliis oppositer breviter petiolatis, oblongo-lanceolatis utrinque attenuatis, vel apice obtusis aut obtuse acuminatis integerrimis, rarius repandis aut subcrenulatis, racemis axillaribus brevibus paucifloris.

Cathastrum Capense Turcz. In capite bon. spei. Dantur specimina in collectione supplementaria Ecklonii sub designatione: Celastr. n. 2.

Celastrus Metzianus Turcz. Glaber inermis, ramis rugosis punctis elevatis oblongis stomatibus tectis; foliis alternis petiolatis subobovato-oblongis, basi longe attenuatis, apice in acumen obtusum abrupte abeuntibus, inaequaliter crenulatis; panicula terminali folio breviora, rhachi cum pedunculis pedicellis calycibusque tenuiter puberulis; floribus hermaphroditis; petalis erectis basi lata insidentibus, staminibus brevioribus vel illa aequan-

tibus. Species habitu *C. scandenti* analoga, sed venis venulisque foliorum opacis neque pellucidis, inflorescentia atque calyce puberulis, hoc sub pentagono, floribus hermaphroditis (ovaria nempe ovulis impleta sunt) atque petalis brevioribus basi lata sessilibus neque anguste unguiculatis abunde diversa. Prope Bovanni, in montibus Nilagiricis, coll. Metzii, edita a cl. Hohenacker n. 1549.

Celastrus polybotrys Turcz. Glaber inermis, ramis punctis elevatis asperis; foliis alternis petiolatis ovato-ellipticis, basi attenuatis, apice in acumen obtusum abrupte abeuntibus, inaequaliter crenatis; racemis numerosis alternis paniculam terminalem laxam, folia multo excedentem, formantibus. Ex inflorescentia approximatur ad *C. paniculatum* W., sed foliis basi attenuatis distinctus videtur (si recte pro *C. paniculato* spec. Cuming Philipp. n. 1209 et Wall. Nepal. n. 4301 B determinavi). Nostra species prostat in coll. Cumingiana e prov. Cagayan insulae Lucon sub n. 1321.

Celastrus luteolus Delile (*C. sinuato-dentatus* Hochst). Specimen sub n. 840 communicatum, axillis foliorum spina instructis, petioloque glauco lacteo ab aliis sub n. 1596 missis recedit. An diversa species?

✓ *Piptocelus? myrianthus* Turcz Glaber ramosus, foliis alternis densis petiolatis obovatis, retusis saepe emarginatis integerrimis vel obsolete serrulatis; racemis axillaribus multifloris, folio plerumque brevioribus, basi multibracteatis; floribus pentandris tri-rarius digynis; petalis oblongo-lanceolatis utrinque angustatis, stylis brevibus inferne coadunatis, stigmatibus subcapitatis. Frutex seu arbor habitu fere Mayteni uncinati Don at floribus racemosis multisque aliis notis a caractere generico Mayte-

ni recedit, nempe floribus hermaphroditis, petalis unguiculatis et stigmatibus non sessilibus. Folia parva 7 linealia, (unicum delapsum pollicare vidi), petala in sicco virescentia nervo medio nigricante. Ovulum in loculis solitarium e basi erectum. Ad definitionem *Piptoceli* Presl magis approximatur et forsán calyx in statu fructifero a basi decidit, quod mihi verificare non licuit. Pedicelli basi bracteati, bracteis pluribus basin pedunculi tegentibus. Coquimbo in Chili, Bridges coll. n. 1337. //

Maytenus Prunifolius Presl? Pluribus notis cum descriptione coincidit, tamen forte diversus, pedunculis axillaribus non omnibus bifloris, at plurimis 4 floris; pedicelli pedunculi longitudine, in bifloris illum superantes, medio bibracteolati, ovarium biloculare, loculis uniovulatis, stigmata duo sessilia breviusculae, fructus desideratur. Quito, Jameson n. 222.

Maytenus e Rio Negro, Spruce n. 2284. Specimen fliferum, cui adnumeranda *Guianensia Schomburgkiana* e coll. 1837 n. 36. Fructus forte immaturus indehiscens lignosus bi-vel unilocularis, 2—1 spermus. Semina arillo inclusa. Stylus subnullus stigmate subpeltato lobato terminatus. Medius videtur inter *Maytenos* et *Elaeodentra*.

Maytenus repandus Turcz. Glaber, foliis alternis petiolatis oblongo-lanceolatis basi attenuatis, obtuse vel acute acuminatis repandis; racemis axillaribus multifloris erectis, petiolo triplo longioribus, folio triplo brevioribus; stigmate capitato. Tolutla in statu Mexiacano Chiapas, alt. 4500 ped. Linden coll. suppl. n. 24 et forte etiam prope Chinantla, Galeotti n. 3880, sed hic ultimus foliis angustioribus subserrulatis, magis acuminatis, stigmateque subpentagono parum recedit.

Maytenus trichotomus Turcz. Glaber, ramis apice compressiusculis; foliis suboppositis petiolatis oblongo-ellipticis utrinque parum attenuatis repando-serrulatis, serraturis minute callosis nigricantibus; paniculis axillaribus trichotomis petiolum triplo excedentibus, folio duplo vel plus brevioribus. In statu Mexicano Chiapas prope Jitaltole alt. 6000 ped. Linden n. 1640.

Maytenus amygdalinus Turcz. Glaber, foliis oppositis oblongo-ellipticis vel oblongo-lanceolatis, obtuse acuminatis, basi rotundatis aut vix attenuatis, integerrimis aut obsolete repandis; corymbis axillaribus pluries dichotomis bracteatis petiolo duplo longioribus; floribus pentandris; stigmate sessili. In Guiana Britannica Rob. Schomburgka 1837, sine numero. Folia magna semipollicaria. Huic affinis est sed diversa species Galeottiana Mexicana prope Jalappa lecta n. 7017 e specimine floribus non omnino expansis mihi nota.

Wimmeria? integerrima Turcz. Glabra, foliis alternis oblongo-lanceolatis obtuse acuminatis, basi longe attenuatis, integerrimis; cymis axillaribus pluries di- aut trichotomis folio brevioribus; ovario biloculari; fructu samaroideo lineari, interdum incurvo compresso, faciebus planis utrinque ad medium nervo longitudinali valido percurso; stylo punctiformi indiviso. Fructum *Wimmeriarum* Schlchtd. non vidi ideoque de genere incertus sum, nam samara stirpis nostrae vix diptera dici potest. Flores minores quam in *W.* discolore (Lind. coll. Mex. n. 801) ejusdem fere structurae at ovarium compressum et biloculare, ovulis in loculis plurimis e basi erectis. Semen solitarium basilare, in statu immaturo compressum, ovato-oblongum, samara triplo brevius. Flores in sche-

dula dicuntur lutei. Mexico, in statu Vera Cruz, prope Miradores, alt. 3500 ped. Linden coll. suppl. n. 30.

Frauenhoferia multiflora Mart. Folia minora ut in icone Martiana, plerumque integerrima, pauciora subtiliter serrata. Vix tamen diversa species. Bahia, Blanchet n. 3087.

Elaeodendrum Zeyheri Turcz. (*Rhamnus Zeyheri* Spr. in Zeyh. coll.). Glabrum, foliis plerisque oppositis breviter petiolatis lanceolatis vel obovatis, utrinque attenuatis, vel in apice retusis, crenatis, reticulatis; pedunculis axillaribus unifloris medio articulatis; floribus tetrameris; ovario tetragono 4loculari, loculis biovulatis; stigmate capitellato obsolete lobato. E. reticulato propinquum, sed jam pedunculis unifloris diversum. Fructus maturi desiderantur, sed e habitu hujus generis nec *Hartogia* species videtur.

Elaeodendrum? e coll. *Zeyheriana* sub Cassine capensi, sed a hac specie omnino diversa et e floribus disco hypogyno manifesto instructis certe non Cassines species, sed *Elaeodendrum* sive *Hartogia*. Flores pentameri. Folia glauca, saepe inaequilatera, rhombea vel obovata, basi cuneata distanter serrata, pedunculi in axillis numerosi fasciculati uniflori.

Elaeodendrum? e *Venezuela* prope Galipan, in prov. Caracasana alt. 5000 ped. Funck et Schlim n. 134. For- san proprii generis propter stigma cylindricum, stylo ipso brevior insidens, apice obsolete lobatum subdilatum. Ovarium carnosum biloculare, loculis biovulatis. Calycis laciniae, petalaeque illis breviora 5, rotundatae. Filamenta filiformia calycem vix superantia, disco inserta, antherarum loculis apice divergentibus. Folia alterna petiolata elliptica vel ovato-elliptica, obtusa vel retusa, basi parum attenuata, obsolete repandula vel integerri-

ma, coriacea, crassiuscula. Racemi axillares pauciflori. Fructus ignotus.

Mortonia effusa Turcz. Ramis glabris, foliis dense imbricatis alternis coriaceis cuneato-oblongis cuspidatis, paucissimis obtusiusculis; corymbis terminalibus pedunculatis pubescentibus; pedunculis folia aequantibus; calycis sulcati laciniis acutissimis; disco integro; stylo longiusculo. Mexico, Berlandier n. 2119. *M. Greggii*, Asa Gray. videtur affinis, at stylo longiusculo et corymbis pubescentibus multifloris distincta.

Melanocarya, novum genus. Calyx 4fidus, laciniis obtusissimis. Petala 4laciniis calycinis alterna subquadrata, toro circulari vel irregulariter octangulati inserta. Stamina 4cum petali, sed altius toro imposita filamentis subulatis brevibus, antheris bilocularibus longitudinaliter dehiscentibus. Ovaria 4, intus basi cohaerentia unilocularia uniovulata. Stylus unicus e centro ovariorum compressus, stigmate indiviso. Nucula 1, rarius 2, altera imperfecta brevissime stipitata et calyce persistente stipata, oblonga indehiscens monosperma. Semen nuculae confirme, arillo membranaceo inclusum, testa crustacea, albumine carnosio copioso. Embryo in axi albuminis, ejusdem longitudinis, cotyledonibus foliaceis planis, radícula brevi hilo proxima. Arbor seu fructus, aut ramus glaber ramosissimus tetragonus, tetrapterus, alis caducis, ramulis pinnaeformibus, foliis oppositis breviter petiolatis oblongo-lanceolatis acuminatis, basi attenuatis, penninerviis, argute serrulatis, serraturis glanduliferis, pedunculis oppositis infrafoliaceis trifloris, floribus parvis. Genus *Evonymis* habitu et pluribus characteribus propinquum, sed ovariis fere liberis, unico vel duobus tantum maturantibus, fructibusque indehiscentibus valde diversum.

Diosmeis etiam approximatur ovariis plurimis stylo unico terminatis atque foliis punctis pellucidis, etiamsi minutissimis, praeditis. Medium inter Diosmeas et Celastrin-eas, ad calcem hujus ordinis posui.

Melanocarya alata Turcz. In Japonia, Göring 11 n. 547. An *Celastrus alata* Thbg?

Dulongia laticuspis Turcz. Foliis alternis petiolatis glabris nitidis lanceolatis, abrupte in cuspidem linearem acutam abeuntibus, basi et cuspidate integerrimis, caeterum calloso-serratis; umbellis subsessilibus vel breviter pedunculatis trifidis 6—12 floris, e costa paginae superioris prope cuspidem provenientes. Simillina videtur *D. acuminatae* H. B. K., cujus nec specimen nec iconem mihi examinare contigit, differre videtur serraturis foliorum versus basin nec prope apicem incipientibus et cuspidis forma memorabili, forsitan cum folio articulata, ad nervum medium fissis, de qua nota in definitione *D. acuminatae* nihil dicitur. Flores lutei dicuntur. Ovula circiter 15. Stigmata sessilia. Mexico, in sylvis Oaxacae alt. 5000—6000 ped. Galeotti n. 7197.

Dulongia integerrima Turcz. Foliis alternis breviter petiolatis glabris nitidis oblongo-lanceolatis basi attenuatis, apice longe acuminatis, integerrimis; racemis pedunculatis binis, ternisve, rarius solitariis apice umbellatis e costa paginae superioris versus acumen prodeuntibus. Folia duplo longiora ut in praecedente, sesquies latiora, petiolo autem duplo breviori fulta. Flores forma praecedentis, nisi quod stigmata stylis brevissimis sustentata sunt. Color florum, fide schedularum sordide albus vel flavidus. In provincia Pamplona Novae Grenadae, prope Lajitas, alt. 5000 ped. Funck et Schlim n. 1657, in prov. Oca

na Schlim n. 716 et in prov. Soto Schlim n. 1152. Hoc genus potius Saxifrageis affine esse videtur et nonnisi fructu baccato ab hoc ordine diversum, a Celastrineis vero nota graviore, nempe ovario cum calyce concreto magis distat.

Cassine mucronata Turcz. Glabriuscula, ramis flexuosis; foliis oppositis petiolatis lanceolatis utrinque attenuatis mucronatis vel acuminatis, remote denticulatis, glabris vel pube parcissima hinc inde adspersis; corymbis axillaribus dichotomis petioli longitudine; calycibus petalisque extus pubescentibus. Calyx 5fidus, laciniis triangularibus petala lineari lanceolata acutiuscula cum staminibus imo calyci adnata, filamenta complanata a basi ad apicem attenuata petalis breviora, antherae basi fixae ovatae longitudinaliter dehiscentes. Ovarium pubescens sessile ovatum, abortu uniloculare 2—3ovulatum, ovulis ex apice cavitatis pendulis, inaequalibus. Stylus brevissimus, stigma obsolete lobatum. Fructus desiderantur. Zeyh. coll. Cap. n. 2209 *Celastrus ovata* E. Mey. sec. Drege Vergl. sed a Celastris distat disci absentia et ovulis pendulis, *Zizyphus Capensis* Poir? etiam e Drege Vergl., at stamina calyci nec petalis, ut in *Rhamneis* opposita, a *Cassine* etiam recedit ovario uniloculari, sed nullo alio generi aptius adnumeranda.

Ilex Truxillensis Turcz. Ramulis superne pubescentibus; foliis alternis oblongo-lanceolatis utrinque attenuatis mucronulatis repando-crenulatis coriaceis glabris, crenis mucrone calloso terminatis; pedunculis axillaribus solitariis binis ternisque 1—5floris petiolum excedentibus; floribus tetrandris; stylis brevissimis. Pedunculi plerumque 3flori, saepius terni. In provincia Truxillensi Venezuelae, loco dicto Agua d'Obispo, Linden n. 1452.

Ilex Cumanensis Turcz. Ramulis subtilissime puberulis; foliis alternis obovato-oblongis, basi plus minus attenuatis, apice obtusis saepe emarginatis aut in acumen brevissimum obtusum contractis, margine revolutis integerrimis coriaceis glabris densis; pedunculis puberulis fasciculatis pluribus 1—5 floris, pedicellis brevissimis, floribus 4—5 meris; sepalis petalisque integerrimis; stigmatibus punctiformibus. Affinis *I. cuneifoliae* Hook. icon. t. 294, at flores multo densiores, in quavis axilla numerosi, sepalia et petala nequaquam crenulata. In provincia Cumanensi Venezuelae prope Lagunette alt. 3500 ped. Funck n. 86 et Galeotti n. 96.

Ilex fasciculata Turcz. Glaberrima, foliis alternis ovato-ellipticis ovatisque breve et obtuse acuminatis basi rotundatis serrulatis, serraturis nigro-apiculatis; reticulatis crasso-coriaceis, subtus pallidioribus; pedunculis in axillis pluribus fasciculatis capillaribus petiolum angulatum superantibus; floribus tetrandris; stigmatibus liberis. Prostat inter plantas Sieberianas absque schedula.

Ilex pleurostachys Turcz. Glaberrima, foliis alternis oblongo-lanceolatis obtuse acuminatis mucronatis, basi parum attenuatis biserratis, serraturis nigro-mucronulatis, reticulatis, coriaceis; racemis axillaribus spiciformibus petiolo angulato plus quam duplo longioribus, pedicellis brevissimis 1—2 floris basi bracteatis; floribus tetrandris; stigmatibus liberis. Folia basi inaequilatera 4, mucrone brevissimo vel longiusculo terminata. Corollae campanulato-patentes. Species insignis inflorescentia. Bahia, Igreja Velha, Blanchet n. 3232.

Ilex paniculata Turcz. Glaberrima, foliis alternis ovato-oblongis, obtuse acuminatis basi rotundatis aut vix atte-

nuatis repando-serrulatis coriaceis supra nitidis siccitate nigris, subtus pallidis, callo minuto-nigricante inter serraturas; panicula terminali composita; floribus tetrandris; stigmatibus coadunatis. Species in genere inflorescentia insolita, sed vero-similiter folia superiora delapsa sunt, uti cicatrices demonstrant. Ovarium ut in congeneribus plerisque depressum, stigmatibus 4 acutiusculis coronatum. Fructus ignoti. Corollae laciniae majusculae. Paniculae rami breves divaricatae vel patentes, ab ipsa basi iterum ramosi, pseudo-verticillati. Pedicelli uni, rarius biflori. Guiana Britannica, Rob. Schomburgk 1837. n. 385.

Prinos Macfadyenii Walp. E Cuba, prov. St. Jago, prope Mogote, alt. 5000 ped. Linden n. 1698. Hujus forte varietas foliis longius acuminatis serraturisque majoribus e Guadelupa alt. 3000 ped. Funck et Schlim n. 54.

Prinos obtusatus Turcz. Ramis glabris, foliis alternis breviter petiolatis ellipticis utrinque obtusis, interdum mucronulatis coriaceis, margine subrevolutis, crenatis, crenis nucerone calloso auctis; pedunculis axillaribus trichotomis, pedicello medio paucifloro, lateralibus trifloris, calycibusque pubescentibus. Rami crassi patuli, ramuli angulati pedunculique laeviter puberuli. Folia elliptica, inferiora saepe subrotundo-elliptica, obtusa vel retusa, interdum emarginata, mucronulo seu callo brevissimo terminata. Flores 6—7meri, calycibus petalisque illos duplo superantibus obtusis. In Novae Grenadae prov. Pamplona, prope la Baya, alt. 8000 ped., Funck et Schlim n. 1387.

Ilicinea, an *Ilex*? Miq. in coll. Canarana Metzii n. 742 videtur esse Salvadorae species, forte S. Judica Wight;

comparanda cum ejus icone Wight illustr. of Ind. Bot. II. t. 281., quam mihi videre non licuit.

Cryptandra microcephala Turcz. (*Eucryptandra*). Ramulis subflexuosis dense puberulis, demum forte calvescentibus; foliis lineam vel 3 lin. longis linearibus uninerviis, margine arcte involutis, sensiteretibus, canaliculatis, calloso-mucronulatis, glabriusculis; stipulis ovatis setaceo-acuminatis nigricantibus; capitulis axillaribus et terminalibus pedunculatis multibracteatis; bracteis ovatis calycem pilosulum aequantibus; stylo ad medium fere albo-tomentoso, superius glabro brevissime 3dentato. Nova Hollandia, Drum. V n. 234.

Cryptandra villosa Turcz. (*Eucryptandra*). Ramulis patentibus dense tomentosis, villisque longis tomento intermixtis vestitis; foliis 5—8 lin. longis linearibus uninerviis obtusis, margine revolutis, utrinque tomentosis subtusque ad margines et costam villosis; stipulis ovatis ovato-oblongisve setaceo-acuminatis fuscis; floribus glomeratis, glomerulis axillaribus et terminalibus racemosis; bracteis ovatis acutis vel acuminatis flores adaequantibus; stylo brevi basi calloso, tridentato. Species indumento et longitudine foliorum a caeteris recedens, disco tomentoso caeterisque characteribus *Eucryptandris* adnumeranda. Nova Hollandia, Drum. V n. 232.

Cryptandra pauciflora Turcz. (*Eucryptandra*). Ramulis patentibus dense tomentosis; foliis 3—5 lin. longis uninerviis oblongo-obovatis vel oblongo-lanceolatis obtusis utrinque tomentosis, subtus pallidioribus cinereis; stipulis ovato-oblongis setaceo-acuminatis fuscis; pedunculis axillaribus sub 3floris; bracteis ovato-acutis calyce sericeo subduplo brevioribus; stylo brevi basi villosa, breviter 3dentato. Habitus fere *C. villosae*, sed foliola bre-

viora, apice latiora villis longis carentia, bracteae calycibus breviores, pedunculi pauciflori, flores ad apices, pedunculorum congesti. Nova Hollandia, Drum. V. n. 233.

Cryptandra cordata Turcz. (Eucryptandra). Ramulis divaricatis patentibusque rufescenti-tomentosis; foliis 2linealibus petiolo saepe illis aequali fultis, uninerviis, cordatis margine revolutis obtusis supra rugosis puberulis, subtus dense albo-tomentosis, costa rufa; stipulis ovatis acuminatis cito deciduis; pedunculis lateralibus cernuis capituliferis, capitulo globoso bracteato multifloro, bracteato, densifloro; calycibus extus discoque pilis detergibilibus vestitis; stylo brevi, inferne albo-tomentoso, subtridentato. Species distinctissima forma foliorum, inflorescentia et vestitu. Disco brevissime 5 crenato, crenis subemarginatis ad Trymalii sectionem Trymalinam Reiss. accedit at discus in his glaber est. Nova Hollandia, Drum. V. n. 230.

Cryptandra parvifolia Turcz. (Solenandra). Ramulis patentibus albo-tomentosis; foliis brevibus obovato-ellipticis obtusis mucronulatis, arcte involutis, supra convexis, subtus canaliculatis tenuiter puberulis, majoribus vix semilinealibus; stipulis ovatis acutis fuscis; floribus 3—5 ad apicem ramulorum in glomerulum approximatis, bracteis calyce majusculo, profunde 5partito duplo brevioribus; stylo elongato incluso breviter 3dentato. Species foliorum brevitatem et magnitudine calycis $2\frac{1}{2}$ lin. longi insignis, *C. amarae* habitu et foliorum forma affinis tamen folia breviora floresque triplo majores diversam speciem indicant. Lobi calycini intus carina elevata alaeformi percursa. Nova Hollandia, Drum. IV. n. 156.

Trymalium thomasioides Turcz. (Eutrymalium). Ramulis patentim villosis; foliis ellipticis acutiusculis, supra
 № 2. 1858. 30

puberulis, subtus albo-tomentosis, in costa, venis margine revolutis villosis; cymis axillaribus subtrichotomis. A speciebus ejusdem sectionis indumento diversum. Stipulae ovato-lanceolatae setaceo-acuminatae, apice plumosae. Cymarum ramuli glomerulo multifloro terminati. Calyces bracteis longiores 5fidi, interdum 6fidi, extus albo-pilosi, intus disco annulato in fragmenta 5—6 libera diviso constante. Petala limbo cucullato. Nova Hollandia, Drum. V. n. 231.

Trymalium polycephalum Turcz. (Trymalina). Ramulis tomentosis; foliis linearibus obtusis uninerviis semipollicaribus, margine revolutis, saepe ad costam usque involutis, utrinque tomentosis, subtus incanis; capitulis in nonnullis ramulis terminalibus bracteis scariosis foliisque summis involucriatis multifloris; calycibus 5fidis extus albo-hirsutis; disco 5sinuato intus inflexo; petalorum lamina cucullata indivisa. Stylus petala aequans filiformis apice trisulcus, stigmata 3 capitata. Drum. coll. V. n. 91 et forte n. 235 (specimen floribus non evolutis).

Trymalium oligocephalum Turcz. (Trymalina). Ramulis tomentosis; foliis linearibus obtusis uninerviis semipollicaribus, margine revolutis, supra glabris subtus incanotomentosis; capitulis in nonnullis ramulis terminalibus, bracteis scariosis foliisque summis involucriatis 6—8 floris; calycibus 5 interdum 6fidis extus albo-hirsutis; disco 5sinuato brevi calyci adpresso; petalorum lamina cucullata indivisa. Stylus ut in praecedente, cui valde affinis. Ramuli floriferi pauciores quam steriles. Nova Hollandia Drum. V. n. 236.

Casearia salicifolia Turcz. (Anavinga). Foliis oblongo-lanceolatis, basi angustatis, apice in acumen longiuscu-

lum obtusum productis basi et apice integerrimis, in medio serratis, serraturis apiculo calloso subadpresso terminatis; corymbis axillaribus subbifidis 5—10 floris, folio triplo et ultra brevioribus; floribus 7 andris. Puncta foliorum pellucida subrotunda, paucis oblongis intermixta. Rami ramulique primarii verruculosi. Calyces profunde 5 partiti, laciniis obtusis inaequalibus, exterioribus brevioribus, extus laeviter subtus densius puberulis ciliolatis. Stamina 14, basi in tubum connata, fertilia plus quam duplo longiora filamentis glabriusculis, sterilia totidem basi dilatata, medio strangulata, apice capitato-compressa pubescenti-barbata. Stylus columnaris stigmate capitato indiviso terminatus. Species propter schedulam deperditam patriae incertae, Mexicana seu forte Columbica, e coll. Lindenii, Funckii aut Funckii et Schlimii.

Casearia comocladiaefolia Vent. In speciminibus meis Haitensibus stamina fertilia 8 numeravi. An distincta? An numerus staminum variabilis?

Casearia Berteriana Turcz. (Anavinga). Foliis lanceolatis utrinque attenuatis mucronulatis crenatis, ad costam et partim ad venas parce pubescentibus, caeterum glabris, punctis semiobscuris praeditis; calycis profunde 5 partiti laciniis oblongis acutis pubescentibus; floribus axillaribus ternis subsessilibus; staminibus fertilibus 8, sterilibus totidem barbatis; stylis indivisis sub anthesi staminibus brevioribus. Portorico, Cas. nitida Bert. coll. non Willd. Specimen ejusdem collectionis nomine *C. microphyllae* designatum, huic simillimum differt foliis minoribus paulo profundius serratis, plerisque obtusis, in acumen non productis, specifice differre non videntur, etiamsi in floribus fere defloratis stylum staminibus longiorem vidi.

Casearia hirta Sw. Specimina duo Berteriana Portoricensia, floriferum ramis inferioribus in spinas conversis et fructiferum inerme, tertium Cubense Lindenianum n. 1697. Omnia dubia a definitione hujus stirpis calyce 5 partito recedentia.

Casearia rufinervis Turcz. (Anavinga). Ramis superne rufo velutinis; foliis lanceolatis vel subobovatis, utrinque attenuatis, vel apice interdum obtusis, serratis. supra praeter costam et venas glabriusculis vel vix puberulis, subtus dense pubescentibus, pube ad costam et venas rufa; floribus axillaribus 1—2—3, uno brevissime pedicellato, caeteris sessilibus; calycibus 5partitis pubescentibus 3andris; stigmate brevi indiviso. Praecedenti valde affinis, distinguenda colore rufescente indumenti foliis argute serratis neque obtuse crenatis et forsitan brevitate styli, quem tamen in floribus non omnino expansis vidi. In monte Liban insulae Cubae, alt. 3500 ped. Linden n. 1795.

Casearia cinerea Turcz. (Anavinga). Ramis velutinis; foliis e basi truncata vel oblique subcordata oblongis ellipticisve breviter obtuseque acuminatis aut obtusis, crenatis, supra pubescentibus viridibus, subtus densius vestitis cinereo-incanis, punctis pellucidis destitutis; pedunculis axillaribus 1—7 petioli longitudine fasciculatis unifloris; calycibus 5partitis 8andris. Ad definitionem *C. truncatae* Bl. accedit, sed foliis basi obliquis inaequaliter supra obscuris et pube brevi obtectis nec nitidis et glabris distincta esse videtur. Crescit in prov. Pangasayan insulae Luçon, Cuming n. 1011.

Casearia punctata Spr. A celeb. de Candolle cum *C. parvifolia* Willd. injuste conjuncta, differt vero, fide speciminis Portoricensis Berteriani, foliis majoribus obsolete

serratis in acumen elongatum productis crebre punctatis. floribus minutis in axillis magis numerosis, ovarioque glabro; at synonyma a Sprengelio adlucta excludenda, nam stylus in hac specie indivisus est. Ad veram *C. parvifoliam* Willd. pertinet etiam specimen Portoricense Berterianum sub designatione erronea *Crateriae fasciculatae*, in herbario Schultesiano servatum. *C. serrulata* Bert. specimen putredine corruptum et floribus 8 andris gaudens non est planta Swartziana.

Casearia fragilis Vent. In ramulo plantae Sieberianae (fl. mixtae n. 198.) stamina fertilia semper 9 neque 10 observavi; in caeteris cum definitione bene quadrat et cum specimine Boiviniano Borbonico convenit.

Casearia Lobbiana Turcz. (Pitumba). Ramis teretibus velutinis; foliis ovato-lanceolatis, longiuscule et obtuse acuminatis, basi parum attenuatis, integerrimis, supra praeter costam glabriusculis vel pilos parvissimos minutos gerentibus, subtus praesertim ad costam et venas dense pilosis, pellucido-punctatis, stipulis triangularibus parvis cito cadentibus; floribus 1—3 axillaribus subsessilibus 5 partitis decandris; stigmatе indiviso. Singapore, Th. Lobb. n. 416.

Casearia leucolepis Turcz. (Pitamba). Ramis angulatis glabris; foliis a basi obliqua ovato-lanceolatis inaequilateris obtuse acuminatis repando-crenatis glabris opacis; pedunculis axillaribus 2—5 unifloris petiolo duplo brevioribus; calycibus 5 partitis glabris; staminibus vix in basi concretis, fertilibus 10 subulatis puberulis, sterilibus totidem obovato-oblongis, margine albo-villosissimis; stigmatе indiviso. Singapore, Th. Lobb. n. 468.

Casearia macrogyna Turcz. (Pitumba). Ramis angulatis glabris; foliis ellipticis utrinque parum attenuatis,

remote et obsolete serrulatis crebre punctatis glabris; pedunculis axillaribus numerosis confertis brevibus unifloris; calycibus utrinque puberulis 5partitis; filamentis inter se fere liberis, staminum fertilium subulatis puberulis basi barbatis sterilia densius pubescentia multo superantibus; stylo staminibus longiore cum ovario et stigmate capitato villosis. Species filamentis fere liberis cum praecedente conveniens, ovario oblongo ad apicem attenuato a congeneribus mihi notis bene distincta. Stamina altius calyci inserta. Prope urbem Mangalor in terra Canara Indiae orientalis Metz. coll. n. 105.

Casearia carpinifolia Bth. Crescit etiam in Bahia fide speciminis Blanchetiani n. 3563 et in Mexico a cl. Linden in statu Vera. Cruz alt. 2000 ped. n. 592 lecta. Flores sordide albi foetidi.

Stachycrater novum genus. Calyx tetrasepalus, sepalis ovalibus obtusis. Corolla nulla. Stamina 16, quarum 8 fertilia filamentis complanatis glabris, sterilia totidem obovato-spathulata aequilonga oblique-truncata puberula ciliata. Antherae terminales orbiculatae biloculares longitudinaliter dehiscentes. Ovarium villosum compressum uniloculare, suturis binis ad angulos ovarii superne pauci-ovulatis. Styli 2 breves emarginati. Fructus ignotus. Arbor seu frutex glaberrimus foliis alternis petiolatis ellipticis abrupte acuminatis, acumine obtusiusculo, opacis, spica terminali gracili, floribus breviter pedicellatis 2—3tim approximatis. Genus cum Caseariis multis characteribus conveniens at distinctum ovario longitudinaliter compresso forte bivalvi in fructu, stylis duobus liberis atque inflorescentia. Nomen ex analogia cum Chaetocratere Crateriam spicatum exprimit.

Stachycrater Philippinus Turcz. In insula Philippina Mindoro, Cuming n. 1485.

Alterum genus e coll. Philippina Cumingiana n. 1166, cujus tantum specimina mascula habeo. Calyx 5partitus. Corolla nulla. Discus constans ex annulo duplicato, seu annulis duobus superpositis multicrenatis. Stamina 20 disci annulis biseriatis inserta, omnia fertilia exserta. Folia alterna subsessilia lanceolata vel obovato-lanceolata, utrinque attenuata apice obtusiuscula, coriacea, crebre pellucido-punctata. Flores axillares glomerati. Convenit cum *Samydeis* habitu, foliis pellucido-punctatis, absentia corollae atque staminibus numerosis calyci affixis, recedit floribus dioicis, staminibusque biseriatis exsertis. Donec flores foeminei innotuerunt, genus quo ad ordinem dubius remanet.

Homalium racemosum Jacq.? Specimina nostra laciniis perianthii externis brevioribus et angustioribus a definitione hujus speciei recedunt. Planta ubi videtur variabilis florum et foliorum magnitudine. Ad varietatem grandifloram spectat specimen Portoricense Berterianum et Sieberiana Martinicensia fl. Martin. n. 143 et fl. mixtae n. 375. Specimen Cubense Lindenianum n. 2108 recedit foliis floribusque minoribus, caeterum conformibus. In omnibus calyx 12partitus, laciniis exterioribus sesquies brevioribus duploque angustioribus, ovarium villosum, staminum fasciculi ternati, glandulae retusae albido-pubescentes, styli 3.

Homalium obtusatum Turcz. Glabrum, foliis ovatis e basi rotundata in petiolum parum decurrentibus, plerisque obtusis retusisque, superioribus in acumen breve attenuatis; racemis axillaribus simplicibus folio breviori-

bus, floribus pedicellatis; calycibus 10partitis, laciniis exterioribus duplo brevioribus, triploque angustioribus; filamentorum fasciculis ternatis; stylis 2divergentibus. A praecedente recedit praeter numerum partium floralium, foliis, paucis superioribus exceptis, utrinque rotundatis. Cuba, prov. Sant Jago, alt. 3000 ped. Linden n. 2122. Flores albi. Glandulae latae subreniformes bilobae bifossulatae.

Renardia, novum genus. Flores in eodem individuo dimorphi hermaphroditi et foeminei. Herm. calyx 5partitus aestivatione imbricativa. Stamina 15, ternatim laciniis perianthii affixa, filamentis inclusis, antheris bicellularibus, loculis globosis. Glandulae nullae. Ovarium ovatum uniloculare placentis tribus parietalibus ovula 3—4gerentibus. Styli 3 breves cylindrici. Foem. perianthium 8partitum, laciniis alternis exterioribus 4duplo minoribus. Fructus triangularis, apice trivalvis, monospermus cum nonnullis ovulis abortivis ad apices placentarum pendulis. Arbor seu frutex glaberrimus, foliis alternis obovatis, basi angustatis, vel subtruncatis obtusis, multinerviis, grosse et inaequaliter serratis, racemis axillaribus petiolum excedentibus, floribus sessilibus, hermaphroditis paucioribus, fructibus nigris glaberrimis. Dixi in honorem cl. et amic. Renard, primi Secretarii Societatis Caesariae Naturae Curiosorum Mosquensis, in historia naturali bene meriti.

Renardia lejocarpa Turcz. C. b. spei. Prostat in coll. Eckloniana sub designatione Urticeae n. 3, et simul Antidesmatis alnifolii Hook. designata. Attamen haec planta in icone Hookeriana t. 481 cum fructibus setosis depicta est et verosimiliter est alia species generis hic propositi.

Duvana velutina Turcz. Ramis velutinis; foliis alternis petiolatis ellipticis vel oblongo-ellipticis basi parum attenuatis obtusis cum mucronulo, vel emarginatis, integerrimis, supra ad costam subtus undique pubescentibus fulvis metallico-splendentibus; racemis axillaribus et terminalibus, illis folio brevioribus, his ramosis folium superantibus; floribus 4—5 meris; stylis 4 brevissimis. Species habitu nonnullas Malpighiaceas aemulans. Flores illis Duv. dependentis similes sed majores et polygami, nam in floribus masculis ovarium non evolutum et styli brevissimi, antherae oblongae parallelogramae filamentum suum excedentes. Prostat in collectione Chilensi Bridgesiana absque numero.

Duvana pleuropogon Turcz. Ramis glabriusculis; foliis alternis petiolatis ellipticis, basi cuneatis, obtusis vel emarginatis, integerrimis, utrinque glabris, subtus in axillis venarum dense barbatis, metallico-splendentibus fuscis; paniculis terminalibus vix folia superantibus; floribus 5 meris; stigmatibus 3 brevissimis. Habitus praecedentis, sed praeter alias notas, foliis glabris, subtus in axillis venarum, quasi pulvino barbato, a basi ultra medium folii instructis, statim dignoscitur. In Sierra Nevada, prov. Novo. Grenadensis, Rio Hacha, alt. 10,000 ped. Schlim n. 797.

Mauria ovalifolia Turcz. Glaberrima, foliis alternis abrupte pinnatis 3jugis; foliolis oppositis petiolulatis ovalibus obtusis, interdum emarginatis, basi oblique attenuatis, subinaequilateris, integerrimis; paniculis terminalibus amplis folia plus quam duplo excedentibus; floribus pentameris. Species a individuis paucis nota, foliis paripinnatis, si hic character constans est, distinctissima. Flores parvi, majores tamen ut in *M. multiflora*. Calyx 5denta-

tus dentibus obtusissimis. Petala 5 calycem multo superantia, ovato-triangularia acutiuscula albida. Discus 10 sinuatus magnus ejusdem coloris. Filamenta ad basin disci intus inserta subulata lactea, sinibus disci opposita, petalis duplo breviora. Antherae incumbentes ovatae biloculares, longitudinaliter dehiscentes. Ovarium liberum sessile oblongum uniloculare bivulatum. Stylus columnaris brevis apice subtrigonus, faciebus stigmatiferis. Nova Grenada, in prov. Pamplona, alt. 1350 hexap. Linden n. 716.

Rhus metopioides Turcz. (Metopium). Glabra. petiolo tereti aptero; foliolis 2—3jugis cum impari, oppositis, brevissime petiolulatis, ovatis, abrupte acuminatis, basi obtusis, argute et glanduloso-serratis; paniculis axillaribus foliis plus quam duplo brevioribus. Foliola 2 vel $2\frac{1}{2}$ pollicaria. Flores albi pedunculati. Styli 3 ovarii longitudine arcte conniventes, stigmata emarginata. Paniculae brevis rami oppositi divergentes Cuba, in monte Liban, prov. St-jago, alt. 3500 ped. Linden n. 1799. Habitu ad *Rh. methopium* accedere videtur, sed propter fructus ignotos nihilominus dubiae sectionis.

Rhus microlepis Turcz. (Sumac). Ramis glabris, petiolo aptero, foliolis 5—7 subalternis, lateralibus breviter, terminali longiuscule petiolulatis, ellipticis, oblongo-ellipticisve, acuminatis, basi parum attenuatis, obliquis, inaequaliter argute serratis glabris, utrinque praesertim ad venas squamuligeris; panicula terminali ramosissima folium summum aequante; floribus parvis pedicellatis. Squamulae minutissimae punctiformes folia juniora undique vestiunt, in costa et venis persistunt, in ramulis multo rariores. China borealis, Fortune n. 97 A.

Rhus Lindeniana Turcz. (Sumac). Petiolo tereti aptero,

basi subangulato, rhachique tenuiter puberulis; foliolis 6—7jugis cum impari suboppositis breviter petiolulatis oblongo-ellipticis acuminatis, basi obliquis, latere superiore productiore subrotundatis, inferiore attenuatis, integerrimis, glabris aut in costa venisque parce puberulis; paniculis terminalibus foliis plus quam duplo brevioribus. Valde affinis Rh. juglandifoliae Willd. et nonnisi foliolis minoribus magis acuminatis, supra praeter nervos nitidulis, nec opacis a speciminibus Caracasanis Funckii et Schlimii n. 308 distingui potest. Foliola majora 4 poll. longa, 12 lin. lata, costa et venis subtus prominulis, interdum nigricantibus. Flores hermaphroditi trigyni, stigmatibus uno reliquis quidquid majore. An tamen haec et species Pamplonensis (Funck et Schlim n. 1391.), foliolis latioribus et alternis prima fronte discrepans, uti varietates Rh. juglandifoliae habendae. Mexico, prope Miradores, alt. 3000 ped. Linden n. 725.

Rhus Clausseniana Turcz. (Sumac). Glabra, petiolo alato, foliolis 3—5 sessilibus oblongis obtusis mucronulatis, interdum emarginatis, marginatis, integerrimis, subtus lucidis, racemis axillaribus brevibus ad apices ramorum confertis; fructibus pedunculatis lucidis. Prostat inter plantas Brasilienses Claussenianas sine numero.

Rhus potentillaeifolia Turcz. (Sumac). Caule vel forsam ramis basi nudis; foliis ad apicem caulis vel ramorum confertis alternis pinnatis sub 9jugis cum impari, foliolis sessilibus late linearibus incisim obtusis vel acutiusculis, basi truncatis, utrinque dense incano-tomentosis; racemis axillaribus simplicibus foliis multo brevioribus. Species distinctissima. Caulis et rami cortice cinerascente, inferne glabri laeves, a medio ad apicem reliquiis petiolorum tuberculati. Folia bipollicaria, saepe minora,

petiolo rhachique apteris tomentosis, foliola media semipollicaria, inferiora minora, summa brevissime petiolulata. Calyces puberuli petalis roseis breviores. Ovarium tomentosum uniloculare. Drupa villis roseis dense vestita monosperma. Mexico, prope Telmacan, alt. 5000 ped. Galeotti n. 4006 A.

Rhus diversiloba Tow. et Gray? Specimen fructiferum cum definitione cl. auctorum satis congruens, foliolis basi cuneatis rhombeis ab icone Hookeriana recedens et verosimiliter propria species.

Rhus ciliolata Turcz. (Sumac). Ramis apice cum petiolis parce puberulis; foliis longe petiolatis trifoliolatis, foliolis lateralibus breviter, terminali longe petiolulatis ovato-oblongis subinaequilateris acuminatis integerrimis, sparse et rariter, ad costam et nervos densius puberulis, subtus pallidioribus, ciliolatis; racemis axillaribus compositis petiolum excedentibus aut illo brevioribus; floribus hermaphroditis, pedicellatis parvis. Mexico, in statu Jalapa alt. 5000 ped. Linden n. 324.

Rhus rubifolia Turcz. (sectio Pseudo-Lobadium Turcz. Flores hermaphroditi sessiles, tribracteati, in spicas paniculatas graciles laxiusculas collecti. Glandulae inter stamina nullae.). Ramis, petiolis paniculisque pilis brevibus densis, saepe substellatis obsitis; foliolis 3—7 oppositis, lateralibus breviter, terminali longiore longius petiolulatis ellipticis, utrinque obtusiusculis, mucronulatis, integerrimis, dense pilosis, subtus fulvo-cinereis; paniculis axillaribus terminalique brevibus, hac caeterum folia superante. Mexico, in Oaxaca, alt. 7000 ped. Galeotti.

Rhus subcordata Turcz. (Pseudo-Lobadium). Ramis, petiolis paniculisque pilis brevibus densis, saepe substella-

tis obsitis; foliolis 3—7 oppositis, lateralibus breviter petiolulatis subcordatis obtusis vel acutiusculis, terminali longius petiolulato basi attenuato, dense pilosis, subtus cinereis integerrimis; paniculis axillaribus terminalique brevibus, hac caeterum folia superante. A praecedente foliolorum forma distinguitur. Cum praecedente alt. 5000 ped. Galeotti n. 3515.

Buchanania latifolia Roxb. Genus hoc e forma antherarum commode in sectiones duas dividitur. In *B. latifolia* Roxb. (fide speciminis Nilagirici Metziani a cl. Miquel determinati n. 1459.) filamenta sunt aequilata et antherarum loculi filamentis adnati, ovaria undique villosa. Similis structura observatur in altera stirpe *Metziana* e terra Canara n. 512. Tertia species hujus sectionis, quae forte *B. angustifolia* Roxb. est, invenitur inter plantas Philippinenses, a Cumingis lectas, sub n. 1125. Haec recedit ovariis pube brevi hirtulis neque villosis. Altera sectio componitur e *B. florida* Schauer Philipp. n. 1115.) cum specie, quam dubitanter pro *B. longifolia* Span. determinavi nonnullisque aliis. In hisce filamenta apice in fila capillaria attenuantur, antheras sustinentia sagittatas, propter loculos a filamento liberos et basi divergentes. *B. latifolia* sic definienda: foliis obovato-oblongis obtusis crassis, supra glabris laevibus, subtus rugosis villosis; panicula terminali compacta; ovariis villosis. Ramus paniculam ferens in specimine meo crassitie pollicis.

Buchanania macrophylla Bl.? E terra Canara, Metz n. 512. Distinguitur a praecedente paniculae longae pedalis ramis longis distantibus, Pubescentia foliorum ad nervos paginae inferioris e villis longis arachnoideis nec e stellis constat, caeterum folia pauca adsunt. Ovarium villis adhuc copiosioribus, quam in *B. latifolia*, tectum.

Buchanania angustifolia Roxb.? Folia vix 2. nec 3—4 pollicaria et paniculae rami velutini in speciminibus Cumingianis; in reliquis cum descriptione quadrat. A duabus praecedentibus longe diversa paniculis abbreviatis folia non superantibus, foliis glaberrimis laevibusque caesiis; ovariis parce puberulis.

Buchanania longifolia Spanogh.? Similis *B. floridae* Schau. sed glabra, foliis basi longius attenuatis, apiculo filamentorum elongato. Cuming Philipp. n. 1580 et Zoll. Jav. n. 2642.

Buchanania e Philipp. Cuming n. 1703. Species insignis, cujus tantum folium unicum et paniculam seu ramum paniculae vidi. Folium breve petiolatum glaberrimum sesquipedale obovato-oblongum obtusum, uti in omnibus congeneribus integerrimum, venis numerosis parallelis adscendentibus percursum, reticulatum. Panicula subpyramidalis, ramis brevibus, inferioribus longioribus distantibus, superioribus sensim approximatis a basi floriferis, omnibus densifloris; filamenta a basi ad apicem gradatim attenuata, non vero apiculo filiformi terminata, antherarum auriculae breves liberae. Ovarium villis longiusculis, etiamsi multo brevioribus, quam in *B. latifolia* et *macrophylla* vestitum. An haec est *B. arborescens* seu lucida Bl. aut species propria e specimine incompleto et definitionibus nimis brevibus judicare nequeo.

Buchanania acuminata Turcz. Glaberrima, ramis terebuntibus; foliis petiolatis obovato-oblongis acute acuminatis, paniculis axillaribus et terminalibus glabris; ramis distantibus laxifloris brevibus; filamentis sub anthera tantum attenuatis, auriculis antherarum brevibus liberis; ovariis tenuissime puberulis. Singapore Th. Lobb. n. 423. Specimen in ejusdem collectione sub n. 422 servatum,

in omnibus *B. acuminatae* simillimum, recedit paniculae ramis pubescentibus et foliis fere duplo minoribus. An sit var. parviflora aut species distincta e speciminibus numerosioribus statuendum.

Buchananium Palumbanica Bl.? E Singapore Th. Lobb n. 424. Glaberrima, ramis teretibus; foliis obovato-oblongis obtusis vel summo apice brevissime attenuato, glaucis; paniculis axillaribus et terminalibus ad apices ramorum confertis subfastigiatis, laxe ramosis; filamentorum apiculo capillari parti latiori subaequali; ovariis puberulis.

Icica leptostachia Turcz. Glabra, foliis trijugis saepe cum impari; foliolis petiolulatis oblongo-ellipticis obtusis aut in mucronem brevissimum obtusum productis inaequilateris integerrimis; racemis axillaribus petiolo longioribus, basi ramosis, ramis inferne brevibus valde inter se remotis, superne floribus in fasciculos approximatos dispositis; floribus tetrameris; stylis brevissimis subconicis. Mexico, in sylvis prov. Vera Cruz, alt. 3000 ped. Galeotti n. 3493.

Icica Salzmanni Turcz. Glabra lucida; foliis 2—3jugis cum impari, foliolis petiolulatis oblongo-lanceolatis utrinque longe attenuatis, obtuse acuminatis; racemis axillaribus pluribus aut potius solitario a basi in ramos diviso, petiolo parum brevioribus; petalis 4 linearibus calycem 4fidum plus quam duplo superantibus; stigmate obsolete lobato; drupa 4valvi dipyrena, medio utrinque sulco profundo exarata. In collibus Bahiae, Salzm. sub Guarea.

Icica polybotrya Turcz. Glabra, foliolis 9—11 oblongo-ellipticis petiolulatis alternis oppositisque inaequilate-

ris basi latere inferiore excisis, abrupte et obtuse acuminatis; paniculis axillaribus numerosis ramosissimis petiolum longe excedentibus; floribus hermaphroditis, petalis 4puberulis, margine involutis, acumine inflexo, calycem 4dentatum triplo superantibus. Folia magna, plus quam pedalia, venis supra impressis, subtus prominentibus. Surinam, Hostmann coll. n. 1268. A celeb. Miquelio ad *Burseras* relata, sed e floribus hermaphroditis et antheris parvis videtur *Icicae* species. Fructus ignoti.

Bursera gummiifera Jacq. A specimine Portoricensi Berteriano Domingensia Jaegeriana differunt costa foliorum subtus villosa, an varietates aut diversae species? Planta homonyma Javanica Blumeana est species valde distincta, sed specimen imperfectum floribus carens accepi.

Sarcotheca, novum genus. Flores hermaphroditi. Calyx 5fidus. Petala 5, laciniis calycinis alterna, aestivatione imbricativa. Stamina 10 sub disco hypogyno inserta, filamentis capillaribus brevibus, antheris parvis bilocularibus, longitudinaliter dehiscentibus. Ovarium sessile triloculare, loculis 2° ovulatis. Stigmata 3sessilia capitellata. Fructus (immaturus) globosus carnosus, epicarpio relaxato, triloculare, loculis monospermis, seminibus angulo centrali affixis. Frutex seu arbor glaberrima, foliis alternis impari-pinnatis 3jugis subtus pallidis, petiolo tereti aptero, rhachi complanato-marginata, foliolis sessilibus obovato-oblongis obtusis, a medio ad apicem crenatis impunctatis, racemis supra-axillaribus solitariis vel geminis, compositis, floribus parvis, pedicellis basi bracteis minutissimis fultis, fructibus magnitudine grani cannabini.

Sarcotheca Bahiensis Turcz. In collibus Bahiae legit cl. Salzmann.

Marignia? nitida Turcz. Foliis simplicibus lanceolatis basi in petiolum attenuatis, obtusis vel breviter acuminatis, acumine obtuso oblique emarginato, integerrimis nitidis glabris; racemis brevibus petioli longitudine. Specimina florifera characteribus genericis cum definitione congruentibus, sed fructu deficiente, quo ad genus dubia. In prov. Illocos australis insulae Luçon, Cuming n. 1152.

Garuga mollis Turcz. Tota molliter velutina; foliis impari-pinnatis 8—9jugis, foliolis oppositis petiolulatis e basi ovata oblongo-lanceolatis inaequilateris acuminatis, parce et distanter serratis aut integerrimis, utrinque pubescentibus stipellatis. Flores G. pinnatae, sed pube brevior et rariore tecti cinerascens, neque incani, folia angustiora magis inaequilatera, acumine longiore praedita utrinque pubescentia, minus serrata, ad basin petioluli stipellis duabus caducis ellipticis reflexis munita hanc speciem a G. pinnata separant. G. Madagascariensis DC. et floribunda Due, mihi ignotae, jam glabritie distinguuntur. G. Javanica Bl. ab ipso auctore ad Sapindaceas postea relata.

Amyris Funckiana Turcz. Foliis impari-pinnatis 5 foliolatis; foliolis petiolulatis ovato vel rhombeo-lanceolatis acuminatis basi que attenuatis integerrimis aut subrepandis, supra lucidis glabris-crebre pellucido-punctatis, petiolo rhachique apteris; paniculis axillaribus trichotomis foliis vix superatis; staminibus corolla brevioribus. In prov. Carabobo Venezuelae, prope Porto Cabello, Funck n. 819.

Amyris thyrsiflora Turcz. Foliis impari-pinnatis trifoliolatis, foliolis ovato vel rhombeo-lanceolatis, obtuse acuminatis, basi que attenuatis crenatis crebre pellucido-punctatis, lateralibus brevissime, terminali longe petio-
N 2. 1858. 31

lulatis, petiolo petiolulisque alatis; racemis axillaribus et terminali in thyrsus contractum approximatis; staminibus corolla longioribus. In Mexico, alt. 3000 ped. Galeotti n. 2822 et in statu Vera Cruz alt. 2500 ped. Linden n. 77. Flores albi fragrantés.

Amyris multijuga Turcz. Foliis impari-pinnatis 8jugis, foliolis oppositis subsessilibus vel subalternis oblongo-lanceolatis basi et apice attenuatis inaequilateris obtusiusculis subemarginatis crenatis, utrinque pube brevissima substellata, subtus densiore, tectis, ad venas praesertim pellucide punctatis; petiolo rhachique immarginatis; paniculis axillaribus ramosis pubescentibus; floribus 4fidis, dioicis; fructibus verrucoso-glandulosis monospermis. Tota planta pubescens. Stamina in speciminibus foemineis nulla. Ovaria nigra glabra stigmate peltato superata uniovulata. Fructus grani Ciceris magnitudine globosi. Semina reniformia atra nitida. Prostat inter plantas Brasilienses Claussenianas.

